Genera Varia.

A Varia Sellarum genera apud veteres reperimus, quarum quædam vocabantur Sellæ Conſulum, eæ, quæ duplices erant, Curules, & Gestatoriæ.

Gabius Baſſus in ſuis Commentariis, dicit Senatores in veteri ætate, qui curulem Magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in Curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſam curulis appellaretur, ſed eos Senatores, qui Magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus iviſſe in Curiam, ait *Gellius lib.3.c.*18.

Auſonius in grat. act. Iſta autem ſedes honoris, ſella curulis, glorioſa popis imperialis officii, in cujus me faſtigio poſuiſti.

Ea fuit ex ebore. Curules eboreos conſulum vocat *Sidon. l.8.ep. Caſſiodorus lib.2.ep.*1. *Horat.ep.*1. Curul. ebur. *Auſonius* ebur *ep.*20.

—— & tua Roma
præceſſit noſtrum ſella curulis ebur.

Sellæ curules Conſulum excelſæ, ac ſublimes fuere, præto- B rum, Tribunorum, Senatorum omnium humiles. *Lucan. l.*5.

Ut primùm mœſtum tenuere ſilentia cœtum,
Lentulus è celſa ſublimis ſede profatur.

Quare per gradus ad ſellam curulem aſcendendum fuit. *Plin. in Panegyr.* Aſcendere curulem, induere prætextam.

Ea variis ſignis ſculpta fuit. *Ovidius.*

Conſpicuum ſignis cùm premet altus ebur.
Signa quoque in ſella noſſem formata curuli.
Et totum Numidæ ſculptile dentis ebur.

Imperatores ſæpè inter duos Conſules in ſella curuli, aut tribunito ſubſellio ſedebant. Hic honor Julio Cæſari primo omnium eſt habitus, ait, Deo ὡς ἐπὶ ἀρχικοῦ δίφρου μετὰ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐν τῷ συνεδρίῳ καθίζῃ. Ut in Senatu inter Conſules in ſella Curuli ſederet. Idem Auguſto tributum: ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθίζειν, ait *Dio.*

Alia fuit ſella geſtatoria, qua per urbem, & agros à lecticariis ſervis geſtabantur. *Claudianus Panegyr. Honor. 4. Conſulis.*

Portatur juvenum cervicibus aurea ſedes
Ornatuque novo gravior Deus.
—— Auſonio cum jam ſuccinctus amictu,
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires,
Atque inter niveas altè veherere cohortes,
Obnixiſque ſimul pubes electa lacertis
Sidereum portaret onus.

C Aureata, & bracteata ſedes dicitur *Sidonio ep.*8. *l.*8. emeritum aurum *Carm. 2. de Antonio.*

Hinc reduci datur omnis honos, & utrinque magiſter
Militiæ, Conſulque micat, conjuncta poteſtas
Patricii, celerique gradu privata cucurrit
Culmina, conſcenditque ſenum puer ipſe curulem,
Sedit & emerito juvenis veteranus in auro.

Sella autem curulis, ut plurimùm, quatuor lignis incurvis conſtitit, funibus ita vincta, ut aperiri, claudiq; poſſet. In aperta ſedebatur, ſuper loris, & linteis. *Martialis lib.2. ep.*57.

Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recenſque ſella, linteiſque, loriſque

δίφρον ἀγκυλόποδα vocat *Plutarchus in Mario. Suetonius lib.* 2. Laxatis ſellæ curulis compagibus. Caligula inter duos Conſules medius in ſella aſſidere ſericis velis tectus; & in foro, & in Senatu ſolebat. ἐν δίφρῳ μεταξὺ τῶν ὑπάτων καθεζομένου ὡς ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν τῇ ἀγορᾷ ita ſcribit *Suetonius de Claudio*, De majore inquit, negotio acturum, medium inter Conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſediſſe. Erat inſuper ſella imperatoria, ſive D regia, quam ſolium appellant, & thronum, quo in Senatu aliis eminebant Imperatores, aut Reges, & certamina, ſive gymnica, ſive equeſtria ſpectare ſolebant. Vocabant eam ſellam variis nominibus, tribunal, ſuggeſtum βῆμα eam nuncupantes. Ita *Apimianus lib.6.* Valentinianus permiſſus tribunal aſcendere, celſius ſtructum &c. rector pronuntiatur imperii.

Claudius ludos è tribunali poſito in Orcheſtra commiſit. *Ammianus l.*15. Constantius tribunali altiorem ſuggeſtum recto, quod aquilæ circumdederunt, & ſigna.

Senatus.

Definitio, et Etymologia.

Senatus à ſenio, aut ſinendo dictus, quòd Senatores, & viri ætate graves, & judicio maturi eligerentur, quibus non aliud dicebat, quàm quòd lex, aut Imperator eos facere ſineret. Græcè βουλή, γερουσία Hebraicè *Schabbar*, porta. In portis enim olim judicia fieri conſueverunt, & Senatores Zakenim dicebantur à verbo Zakin, ſenuit.

Senator in ſenatu auctor eſſe debet ſententiarum Reipu- E blicæ conducibilium, etiamſi parum jucundæ auditu fuerint, & aliis in concione adulationis reliquando, contentus rebus utilibus, increpans, admonens, caſtigans, non arrogantem inſanamque, ſed ſobriam libertatem proferens. *Phil. Judæ. de Joſeph.*

Senatus Perpendatur
Materia.

Romanus Senatus adeò ſemper magni religionem fecit, quemadmodum *M. Varro ad Cn. Pompejum* ſcribit, in libro ubi ratio, locuſque habendi Senatus oſtenditur, ut nil aliud priùs quàm quod ad religionem pertineret, proponeretur: nullaque, quanquam gravior cauſa, vel quæ celeritatem requireret: hunc morem antevertebat.

Forma Consultationis. F
Rogatio.

Apud Athenienses in frequenti ſenatu pro cujuſque ætate ſententiæ rogabantur. *Alex. l.4.c.*11.

Lycurgus, cùm eſſent adoleſcentes loquaciores, & in conciliis obſtreperent, cavit edicto, ut nemo in foro, nec in publico conſeſſu diceret, niſi Regibus permittentibus. *Idem.*

Apud Heduos fuit conſtitutum, ut qui in ſenatu ſententiam dicit, ex eadem familia neminem rogare poſſit, quid eſſet ſententiæ & opinionis ſuæ. *Idem.*

Romæ ante legem de Senatu habendo latam, ordo rogandi ſententias varius fuit. Aliàs primus rogabatur, qui à Cenſoribus Princeps in Senatum lectus fuerat: aliàs qui deſignati Coſſ. erant. Quidam à Coſſ. ſtudio, aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat, honoris gratia extra ordinem ſententiam primum rogabant. Obſervatum tamen eſt, cùm extra ordinem fieret, ne quis quenquam ex alio quem ex conſulari loco ſententiam primam rogaret. C. Cæſar in conſulatu, quem cum M. Bibulo geſſit, quatuor ſolos extra ordinem rogaſſe ſententiam dicitur. Ex iis quatuor, principem rogabat M. Craſſum. Sed poſtquam filiam Cn. Pompejo deſponderat, primum cœperat Pompejum rogare. Teſtis Tyro Tullius M. Ciceronis libertus, qui hoc ſe ex patrono ſuo audiſſe ſcribit. Idipſum *Capito Atteius in lib. de Officio ſenatoris* confirmat. G *Gellius lib.4.c.*10.

Augustus ſententias de majore negotio, non more, neque ordine, ſed prout libuiſſet, prærogabat: ut perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis quàm aſſentiendum eſſet. *Suetonius.*

Dictio.

Athænis præcone pronunciante in theatro, vel curia ſtantes decernebant, quid ſuæ opinionis foret. *Alex. lib.4. cap.* 11.

Syracusanus nemo ſententiam dicit rogatus, ſed ut quiſque ætate, & honore anteit, ita ſua ſponte, quid ſui conſilii ſit, in medium affert, non rogatus: aut ſi tacent omnes, fortè dicere coguntur: quibus in uſu erat, ut in concionem prodituri, per literarum elementa ſorte educerentur. Quare Dionyſius prodituras, cùm M. ſortitus fuiſſet, futuram ſibi Monarchiam cavillatus eſt. *Alex. lib.4.c.*11.

Romæ jus ſenatori erat, ut rogatus ſententiam, perpetua oratione, & quam voluit diù, dicendo diem abſumeret: adeò H ut nonnullos horis ſeptem, pleroſque dies totos concionem in ſenatu habuiſſe tradant. *Alex. lib.4.c.*11.

Suffragatio.

Regibus Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cùm ſententiam dicunt in ſenatu, facultas erat: tertium verò, ſi quid pro ſe decerni vellent. *Alex. lib.4.c.*11.

Pedarii ſenatores Romæ dicebantur ii, qui in ſenatu quidem ſedebant, verùm ſententiam non rogabantur, ſed in aliorum ſententias pedibus diſcedebant. Unde referente Feſto Pompejo in dictione, Pederius, à Lucilio dicti ſunt Agipedes, quòd pedum diſceſſione dicerent ſententiam. *Gellius noctium Atticarum lib.3.cap.*18.

Veteri conſuetudine, quoties ingens erat turba ſuffragia ferentium, pedibus diſcedebant in ſententiam. *Liv. decad.* 1. *l.*7. Ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis: quæ pars major erit, eo ſtabitur conſilio aliquanto pòſt? Quibus hæc ſalutaria videntur, agite dum in dextram partem pedibus tranſite.

A Omnes tranſierunt, vadentemque per intermiſſa cuſtodiis loca Decium ſequuti ſunt. *Eraſm. in Adagiis.*

Qui vultu, ac geſtu ſignificant ſe aſſentiri, Toto corpore in ſententiam diſcedere dicuntur.

Suffragiorum genus, quòd porrectis manibus peragitur, Græci vocant χειροτονεῖν, & χειροτονίαν, quàm vocem uſurpant & ſacræ literæ. *Vopiſcus in vita Aureliani Imperatoris* indicat, & manuum porrectione ſententiam alienam cõprobari ſolere.

Efficiens Princeps. Senatores
Quales, Quo ad
Officium.

A Lycurgo Spartanorum legislatore Seniores conſtituti, qui de republica cum regibus, qui duo erant numero creati, conſultarent. Is ordo velut arbiter fuit inter regiam poteſtatem, & vim multitudinis, ne aut hæc contumacia ſæviret, aut imperio illi. Octo & viginti ſeniores (tot enim Ariſtoteles fuiſſe ſcribit) duobus regibus aſſidebant, ne nimiùm Demo- B cratia invaleſceret providentes: & rurſus ne, qui regnum tenerent, tyrannicum quippiam molirentur. Quæ hic ordo decreviſſet, cætera multitudo ut ſciret, neceſſe erat. *Sabellic. lib.*1. *Enneadis* 2. Hi autem veluti præſides & reipub. cuſtodes, tantæ auctoritatis fuere, ut ſi populus, regem aut magiſtratum quempiam juſſiſſet, id ſic ratum foret, ſi ſenatus auctor fieret. Leges quoque à populo latæ haud aliter ratæ fuerunt, quàm ſi patrum conſenſu approbarentur. In reliquis verò ita præſcripta ſenatus poteſtas erat, ut Judicium populi auctoritate ſenatus reſcindi non poſſet. *Alex. l. cap.*11.

Romæ ſi, cùm ſenatus cogendus foret, ad conſulis edictum non convenirent, aut contumaciùs parerent, pignoribus, & mulcta plectebantur. Si qui tamen ſenatores quintum & ſexageſimum annum ætatis exceſſiſſent, eos cogi invitos, aut contumaces pignore, vel pecunia plecti non licebat. *Alexand. lib.4. cap.*11.

Mores, Virtutem.

Pacuvius Calanus, ſenatus Campani periculum, quòd ei à plebe Hannibalis opibus poſt victos ad Thraſymenum Rom. faventi imminebat, ingenioſè diſcuſſit. Namque plebi C de perdendo Senatu morem ſe gerere velle oſtendit, ut tamen antè de alio ſufficiendo Senatu paciſceretur. Cùm ergo ſenatorum damnatione incepta, ipſius plebis judicio non inveniretur, qui honeſtè in Senatu legi poſſet, deteriorumque electionis puderet, atque res eò vergeret, ut nihilominus omnes in damnatorum locum ſuffici ſe cuperent: quia alia ratio tollendæ contentionis, meliorumque habendorum non erat, de Senatus mutatione integra res relicta eſt. *Fulg. lib.7.c.*3.

Constantinus Magnus Imp. victo Maxentio tyranno, Romano ſenatui auctoritatem priſtinam reddidit, ac dignitatem ejus in perpetuum curæ ſibi fore ſpopondit optimatibus in Senatorium ordinem ex omnibus provinciis lectis, ut ſenatus non tam nomine, quàm re illuſtrior eſſet, cùm ex totius orbis flore conſtaret. *Sigonius lib.3. Imp. occid.*

Sexum.

Lege ſancitum fuit Romæ, ne mulieres cujuſvis negotii cauſa ſenatum, aut curiam adirent, niſi quòd Heliogabalus Senatulum mulierum in colle Quirinali conſtituit primus: qui præter mores, inſtitutaque majorum, ut ordine ſenatorio mater admitteretur à ſenatu, pervicit. *Alex. lib.4. cap.*11.

Claudii, & Neronis Impp. tempore, cùm non pro di- D gnitate videretur, Agrippinam patrum conſultationibus admitti, decrevere patres, ut à tergo abditis foribus ſtaret, velo diſcreta, quod viſum arceret, auditum admitteret. *Alex. lib.4. cap.*11.

Ætatem.

Apud Bithynos, minorem annis triginta in Senatum adſciſcere nequaquam licebat.

Senes Lycurgus primùm eos, qui cœpti ſui fuerant participes, deſignavit Senatores, numero 28. iiſque duos addidit reges. Deinde in locum demortui ſuffici juſſit eum, virtute qui eſſet præſtantiſſimus judicatus, ſexaginta annis major. *Plutarch.*

Augustus Cæſar liberis Senatorum, quò celerius Reip. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Senatus intereſſe permiſit. *Suetonius.*

Idem, ut niſi exacto quarto, & vigeſimo ætatis anno in Senatum neminem admitterent, præter admodum paucos, ob correptam virtutis indolem, edicto cavit.

Romani pueros patricios cum parentibus in Senatum ducì permittebant, ut conſiliis ſapientûm jam inde à teneris aſ- E ſueſcerent. Duravit ille mos uſque ad Papyrium Prætextatum. *Macrob.* 1. *Saturn. cap.*6. & *Gellius lib.*1 *cap.*23.

Veneti, in feſto die D. Barbaræ, juvenes aliquot patricios, qui vigeſimum ætatis annum impleverint, in patrum, principiſque collegium ſorte extrahunt, qui in majoribus comitiis jus ferendi ſuffragia habeant. Alioqui enim ante 25. annum in Senatum non admittuntur. *Egnatius lib.3. cap.2. & Sabellicus de Magiſtr. Ven.*

Opulentiam.

Cenſus ſenatorius apud Rom. olim ad nummos octingentorum millium fuit: quem Cæſar Auguſtus, & ſequuti principes ad duodecies centies ſeſtertium auxerunt: & ne quis eorum inops, aut egens foret, illos largo viatico, & magnis muneribus proſequuti ſunt. *Alex. lib.*4. 11.

Allecti, inquit Festus, dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum erant numerum aſſumpti, nam Patres dicuntur, qui ſunt patricii generis; Conſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcripti, annotati. *Hotomanni. de Verbis juris.* F

Patriam.

M. Antoninus Philoſophus, ut ſenatores peregrini quartam bonorum, & fortunatum ſaltem in Italia poſſiderent, lege ſanxit. *Alex. lib.4.c.*11.

Dignitatem, Cenſum.

Romulus condita urbe, omnes ſpectata virtute viros, & quibus tum filii eſſent, pollerentque inter alios opibus, ab ignobili multitudine diſcretos, Patres appellavit. Eorum progenies Patricii deinceps dicti. Patres dictos ferunt, quòd liberorum ingenuorum eſſent parentes: alii, quòd parentes ſuos laudare poſſent: quod ex colluvie illa civitatis prima licebat paucis. Sunt, qui à patrocinio, Patronum quendam, qui ſecutus fuerat Evandrum, advenam defenſorem inopum, & vindicem, huic rei nomen arbitrantur tribuiſſe. Verius videatur, Romulum, principum, & potentiſſimorum cenſentem partes eſſe, ut patria cura & ſollicitudine complecterentur demiſſiores: ſimulque docentem plebem, ne timerent præſtantiores, neve inviderent honoribus eorum, ſed uterentur iis cum benevolentia, ac ducerent patres, appellarentque, id nomen his dediſſe. Nam G nunc quoque ſenatores, cum ampliſſimo, & honoratiſſimo, tum minimè invidioſo nomine, Patres Conſcriptos vocant: principio Patres tantùm, pòſt numero amplificato (vel cùm Sabini à Tito Tatio ſunt Romam traducti, & in Senatum allecti: vel quando L. Tarquinius Priſcus centum allegit, qui Minorum gentium patres ſunt dicti, & ccc. facti, qui prius cc. fuerant) Patres Conſcriptos appellavere. Atque eo tam venerando vocabulo populum à ſenatu diſtinxit, Cæteros deinde, quibus majores erant opes, ſecrevit à plebe, appellavitque Patronos illos hos Clientes. *Plut. in Romulo.*

Augustus Cæſar comitiis Tribunitiis, ſi deeſſent candidati, Senatores ex equitibus Romanis creavit; ita ut poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine manerent. *Suetonius.*

Comitatum.

Senatores Rom. olim, qui curulem magiſtratum geſſiſſent curru in curiam vehebantur, honoris gratia, in quo curru ſella erat, ſupra quam conſiderent. Otium cum ſceptris, ſi duces, aut viri conſulares fuiſſent. At qui magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus in curiam ibant: & propterea Senatores pedarii nominabantur. Hæc C. Baſſus in ſuis Commentariis. At M. Var- H rò in ſatyra Menippea ſcribit, in Senatu Romæ alios fuiſſe Senatores, qui ſententias rogabantur, utpote à cenſoribus jam in Senatum lecti: alii non erant, nondum tamen in Senatorium ordinem à cenſoribus lecti, in Senatum tamen veniebant, eò quòd honoribus populi uſi eſſent: neque ſententia rogabantur, ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebat. Et propterea Pedarii fuere dicti. Atteſtatur huic rei Laberii verſus: Caput ſine lingua, pedaria ſententia eſt. *Gell. lib. 3. cap.* 18. *Noct. Att.*

Fuit vetus Romæ conſtitutum, ut adoleſcentes ſenatorum filii, primo flore ætatis, parentes, & neceſſarios in veſtibulo curiæ opperiant, illoſque ſenatu egreſſos domum reducant, & comitentur. *Alex. lib.4.c.*11.

Quot.

Cretenses decem habuere præfectos Senatorum loco, qui de rebus maximis decernebant. Apud Epidaurios centum & octoginta rempublicam adminiſtrabant, ex quibus nobi-

liſſimos popularium deligebant Senatores, quos Artinos vo- A cabant, & Conipodes. *Alex. l.4. c.11.*

MASSILIENSES rem omnem urbanam per optimates, & ariſtocratiam regentes, omnes legum æquitate ſuperabant: conſilium ex ſexcentis viris inſtituentes, quos Cimitos, id eſt, honorificos appellabant. *Val. Max. l.2. c.1. Strabo libro* 4. Timuchos vocat.

In GNIDO ſexaginta præfuere ex optimatibus, Amnemones appellati, ad quos res maximas, & graves referebant. *Alex. lib.4. cap.17.*

Senatus ATHENIS fuit quingentorum, qui unà cum tribunis, & quæſtoribus, ſeneſque cum junioribus de rebus ſingulis decernebant. *Alex. lib.4. c.11.*

Apud SERES maximus ordo ex quinque millibus conſiliariis conſtabat, qui in apparatu belli elephantem ſinguli præſtare tenebantur, CROTONIATÆ congregato mille virorum lectiſſimorum numero, de rebus gravioribus conſultabant. *Alexand. l. 4. c. 11.*

APUD ARGIVOS octoginta viri, item apud Mantinenſes: B in Elide autem LX. Senatus vice fungebantur. *Idem.*

Senatores à ROMULO centum creatos fuiſſe, qui ob honorem PATRES dicti ſunt, quorum conſilio Reſpublica domi, foriſque niteretur: & deinde urbi cum Sabinis, & Tario communicata centum alios auditos fuiſſe, ſcribit *Livius lib. 1. Decad. 1.*

Primus P. VAL. Poplicola, poſt exactos: Patrum numerum à Superbo cædibus imminutum explevit, & ampliſſimum ordinem auxit, quatuor & ſexaginta ſupra centum ex equeſtri ordine in conſilium cooptatis, ita ut trecentorum numerum faceret, qui Adlecti dicti ſunt, Quos enim exterminatos reges, ætate graves, ſpectatæque probitatis videbant, ſenatui tanquam graviſſimo, ſanctiſſimoque concilio adſcribebant. Quibus cùm alii in locum decedentium ſuffecti, & in ſenatum literis adſcripti eſſent, Conſcriptos vocarunt, modò plures, modò, pauciores: ita ut frequens ſenatus, & quidquid erat patrum, & ferè trecentis ſenatoribus conſtaret. *Alexand. l. 4. c. 11.*

Cùm C. Jul. Cæſar ſupra mille ſenatores, belli caſibus imminuto ordini adſciviſſet, AUGUSTUS Octavius ſelectos, & C perpurgatos duabus lectionibus, remotis indigniſſimis, in priſtinum decorem revocavit. *Suetonius.*

QUAMDIU.

Senatoribus ROM. ad plebem tranſire, & jura patrum amittere, & plebeja ſubire Romæ licuit: quod præter M. Manlium, qui primus à patribus ad plebem defecit, aliis pluribus datum, & permiſſum fuit. *Alex. lib. 4. c. 11.*

TEMPUS.

PERSÆ de rebus maximis inter vinum conſultant, quas ipſi firmiores putant, quàm quæ in ſobrietate fuerint deliberata. *Strabo lib.15.* Hoc idem de Germanis Tacitus ait: In conviviis deliberant, tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.

Plutarchus in Sympoſiacis, Decade 7. problemate 9. citat Platonem, qui ſcripſerit, apud LACEDÆMONIOS (ni fallor) νυκτερινὸν σύλλογον, id eſt, Nocturnum conventum graviſſimorum, ad quem difficillimæ cauſæ reiiciebantur. Addit apud veteres noctem εὐφρόνην, fuiſſe vocatam, παρὰ τὸ εὐφρονεῖν, à bene ſapiendo. *Eraſmus in Adagiis.*

AUGUSTUS Cæſar, ut Senatores lecti, probatique & religioſiùs & minore moleſtia ſenatorio munere fungerentur, ſanxit, ut priùs quàm conſideret quiſquam, thure, ac merò ſupplica- D ret apud aram ejus diei, in cujus templo coiretur: & ne plus quàm bis in menſe legitimus Senatus ageretur, Calendis, ſcilicet & Idibus: neve Septembri, Octobrive menſibus ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quàm ſorte ductos, per quorum numerum decreta confici poſſent: ſibique inſtituit conſilia ſortiti ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis, antè tractaret. *Suetonius.*

* Senectus. Senes.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

SENECTUS, Græcè γῆρας, & γέρον, ſenex, & γηράσκω, ſeneſco dicit. Hebr. *Zikenah*, Senator, à verbo, *Zaken.* Senuit, Barba etiam *Zakan* dicitur, quæ ſenes viros decet.

Eſt autem ſenectus, occaſus vitæ. *ſecund. Cic. in Topicis.*

Senectus eſt ultima ætas durans aliquando tantùm, quantum omnes ætates. *ſec. B. Thom 4. ſent. diſt.43. art.2.*

Senex dicitur quaſi ſeminex, hoc eſt, ſemimortuus, quod acta majore ætatis ſuæ parte jam mori propinquior ſit. Nam ſenex mortem ſignificat. Siſenna. Quoniam neque mea nex neque interceſſio poſſe videtur illorum dementem reprimere audaciam. Hinc deducitur neco: quod eſt interficio. A ſene E ſenatus dicitur, quod & locum ſignificat, in quo ſenatores conveniunt, & ipſos ſenatores.

VOCIS USURPATIO.

SENIORUM vocabulum, non tam ætatis, quam dignitatis eſt, & eos deſignat, qui adjecto nonnunquam epitheto, potiſſimum in novo teſtamento, dicuntur Seniores populi, penes quos Sacerdotibus, & ſcribis ſelectis adjuncti, erant judicia: quæ Hebræi Græco vocabulo *Sanhedrin*, id eſt, συνέδρια, vocant, ut ii plane ſint πρεσβύτεροι, quos Latinè eadem ratione ſenatores vocant, *Matth.16.23. & 27. 59. Deut. 21. 2.* ſeniores pro majoribus, *Matth.15. 2. Mar.7.3.* ſeniores ſeptuaginta ſibi allegit Moyſes *Num.11.16.* ☞ *Vide in Loco de Sacerdotibus, vocabulum Presbyteri.*

SENECTUTIS DESCRIPTIO
Ex Epigramm. Cornelii Galli.

Hæ ſunt primitiæ mortis: his partibus ętas F
Defuit, & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
Non ſpecies eadem, quę fuit ante, manet.
Labitur ex humeris, demiſſo corpore veſtis.
Quęque brevis fuerat, jam modo longa mihi eſt.
Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi.
Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cœlum ſpectare licet: ſed prona ſenectus
Terram, à qua genita eſt, & reditura videt.
Fitque tripes, prorſus quadrupes, ut parvulus infans.
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Ortus cuncta ſuos repetunt, matremque requirunt.
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc eſt, quòd baculo incumbens ruitura ſenectus.
Aſſiduo pigram verbere pulſat humum.
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu,
Talia rugato creditur ore loqui.
Suſcipe me, genitrix, nati miſerere laborum, G
Membra vel is gremio laſſa fovere tuo.

Haud multò aliter *Ovidius lib.15. Metamorph.*

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet alba capillos.
Noſtra quoque ipſorum ſemper, requieque ſine ulla
Corpora vertuntur, nec quòd fuimuſve, ſumuſve
Cras erimus.

* SENECTUTIS DIFFERENTIÆ, EJUSQUE UBERIOR DESCRIPTIO
Ex Ecclesiaſt. cap. 12.

SENECTUTIS triplicem faciunt differentiam, ut alia ſit Prima, alia Secunda, aliaque Tertia, quæ curva, & decrepita vocatur. Prima Cruda eſt, & Viridis quàm comitatur experientia, & prudens rerum uſus. Altera eſt, quæ ab anno LXII. auſpicatur quàm comitantur incommoda pleraque, cùm naturalis calor, & vigor imminuatur, ſenſuſque fiant debiliores, uti & temperamentum. At in tertia, ut bene David, nihil eſt quàm labor & dolor. Hanc eleganter deſcribit Eccleſiaſtes *cap.* 2. in hunc modum. Si memor, inquit, Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam ſol, & ſtellæ luminaria obſcurentur: & nubes re- H vertantur poſt pluviam: cùm cuſtodes domus trepidabunt, & curvabuntur viri fortes: cùm molares deſinent molere, & videntes obſcuri fiant per feneſteras, & occluſis portis extrinſecùs, eò quod vox molæ ſit ſubmiſſior: cùm ſe levabit vox aviculæ, & humiliabuntur omnes filiæ cantus, & timebunt ſibi à rebus altis: cùm cœperit florere amygdalus, & impinguabitur locuſta, & marceſcet Capparis. Antequam, ait, extendatur catena, ſive funiculus argenteus, & rumpatur aquarium aureum, & amoveatur amphora à fonte, & frangatur rota ſupra ciſternam, & pulvis redeat in terram, unde ortus eſt, ſpiritus autem ad Deum revertatur. Hæc eſt igitur admirabilis illa extremæ ſenectæ deſcriptio, quæ bono, & Anatomicæ artis perito eget artifice, ut ad vivum reſecta intelligatur.

In decrepita ſenectute, inquit, Sol, & Stellæ obſcurantur: hi ſunt oculi, qui deſtituuntur claritate, & viſu ſuo. Nubes revertuntur poſt pluviam: notat, ſenibus, poſtquam diù ploraverunt, ante oculos oboriri craſſos vapores, adinſtar denſæ nubis. Tremunt cuſtodes domus: id eſt brachia, & manus, quibus homo inſtructus eſt, ut iis defendat totum corpus. Plicantur & curvantur fortes, vel robuſti: hoc de femoribus, cruribuſque dicitur, quæ ſunt velut fulcra, & fundamenta domus, id eſt, A corporis. Molares ceſſant, id eſt dentes, qui nobis ſerviunt ad manducandum, & comminuendum cibos. Videntes obſcurantur per feneſtras; oculi hi ſunt, qui ſæpè operiuntur cataracta, unde pupilla obtegitur, quæ eſt & appellatur feneſtra oculi. Portæ exterius firmantur, quòd mola demittatur: quando mandibulæ in juncturis ampliùs moveri non poſſunt, aut canalis recipiendo cibo fit anguſtior. Levant ſe ad vocem auriculæ: quia dormire non poſſunt, ſed ad hirundinis matutinæ, aut Gallinacei cantum excitantur. Humiliantur omnes filiæ cantus, cùm ipſos vox deficit. Amygdalus floret, cùm totum caput alba obtegitur canitie. Locuſta impinguatur, cùm coxendices inflantur, & tument. Capparis marceſcit: quia appetitus proſternitur, cui excitando capparis flos in uſu eſt. Funiculus argenteus extenditur, cùm medulla, quæ per medium dorſum porrigitur, inter vertebras relaxatur humore, unde dorſum incurvatur. Aquarium aureum, quod rumpitur, Cor eſt, quod inſtar vaſculi continet ſanguinem arterialem, & ſpiritus vita- B les, qui jure vocantur aurei: Corde igitur deſtituto ſuo motu, quia non poteſt eos ampliùs continere, perinde eſt ac ſi illud ruptum ſit. Urna quaſſata in fonte: eſt magna illa vena cava, quæ non poteſt ampliùs haurire ſanguinem ab hepate, quod eſt inſtar communis promptuarii, & fontis, unde totum corpus humectatur, unde non majorem præſtat utilitatem, quàm amphora ſoluta, & pertuſa. Rota frangitur ſuper ciſternam: his verbis cum renibuss veſica pingitur, qua utraque vaſa relaxantur, ut urinam ampliùs continere non poſſunt. Hæc omnia poſtquam ita evenere, pulvis, id eſt corpus materiale, redit in terram, & ſpiritus qui aliunde acceſſit, revertitur ad Deum, qui dedit eum. Ita plerique Interpretes.

INCOMMODA.

Enumerat ea *Horatius in Arte Poetica* ita ſcribens.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quòd res omnes timidè, gelidèque miniſtrat.
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum, &c.

Eadem deſcribit Juvenalis 10. *Satyra.*

Sed quam continuis, & quantis longa ſenectus
C *Plena malis? deformem, & tetrum ante omnia vultum?*
Diſſimilemque ſui deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas:
Quales umbriferos ubi pandit Trabaca ſaltus
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt juvenum diſcrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio: multum hic robuſtior illo.
Una ſenum facies, cum voce trementia labra,
Et jam leve caput, madidique infantia naſi,
Frangendus miſero gingiva panis inermi.
Uſque adeò gravis uxori, gnatiſque, ſibique,
Ut captatori moveat faſtidia Coſſo.
Non eadem vini, atque cibi torpente palato
Gaudia, &c.

Ibidem.

Prætereà minimus gelido jam corpore ſanguis
Febre calet ſola: circumſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras
Promptius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
D *Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno;*
Quot Baſilus ſocios, quot circumſcripſerit Irus.
Pupillos.

Ibidem.

Ille humero, hic lumbis: hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis invidet, hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipſe ad conſpectum cœnæ deducere rictum
Suetus, hiat tantum ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna, ſed omni
Membrorum damno major dementia: quæ nec
Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit.

Ibidem.

Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque

Perpetuo mœrore, & nigra veſte ſeneſcant.

Similiter Boet. 11. B

Venit enim properata malis inopina ſenectus,
Et dolor ætatem juſſit ineſſe ſuam.
Intempeſtivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Denique Propert. 2. 25.

Miles depoſitis annoſus ſecubat armis,
Grandævique negans ducere aratra boves.
Putris & in vacua requieſcit navis arena.
Et vetus in templo bellica tela vocat.

adducit pro eadem re exemplum Neſtoris, *Juven. Sat.10.*

Rex Pylius, magno ſi quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos,
Quique novum toties muſtum bibit ore parumper
Attendas, quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, cùm videt acris F
Antilochi barbam ardentem; nam quærit ab omni
Quiſquis adeſt ſocio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.

COMMODA, ET ELOGIA.

A variis eventibus eadem deſcribit Juncus *lib. de ſenectute*, dum ita ait. Ad meam ſententiam explicandam me confero, exiſtimans ſenes propter longum tempus, & rerum per vitam actarum experientiam, erroribus non obnoxios eſſe: juvenibus autem impedimento eſſe ad bona tum vires corporis, quibus illi freti temerè bellum capeſſunt, & majora appetunt: tum inconſiderationem rerum utilium. Atqui fuerit mihi teſtis illorum, quæ dixit Solon Athenienſis, qui lege ſanxit, ne quis admodum juvenis ad magiſtratum, aut conſultationes admitteretur, quamvis prudentiſſimus eſſet viſus. Cæterùm quo ad cupiditatibus ſenes immunes ſunt, & nihil ampliùs ab eis turbantur hoc maximum, & pulcherrimum à diis donum hominibus datum eſſe reor, per quod divinæ naturæ quodammodo ſimiles fiant. Nam dii, ut ait *Homerus.*

Οὐ σῖτον ἔδουσ᾽ οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον.

Non comedunt fruges, non potant fervida vina.

SENES autem à ſuperfluis, & moleſtis abſtinentes, ipſorum uſu nihil egent, indigentiæ moleſtiis liberati, & frugalis animi, G rebuſque ſuis contenti voluptate fruentes. Etenim ab impetu, & appetitu in venerem ruente ſejunctum eſſe, dii boni quanta utilitas, & furoris, modeſtiæque amiſſio dicenda eſt: quo tempore bruta, & cupiditatibus obnoxia pars nimiæ ſopita improbos dominos effugit: rationalis verò pars oculis animæ pulchritudinis voluptate fruitur: deinde inutilium, & laſcivarum rerum mentionem omnino facit nullam.

Similiter & ſenectus ad juventutem ſe habet. Hæc aggrediendo quidpiam prævalet: illa providendo nunquam ſeipſum ſine mentis cuſtodia relinquit: ſed quid agat, aut quid egerit, conſiderat: ut futura præſentium, præſentia autem præteritorum collatione trutinans, ipſa ſeſe rectè dirigere poſſit ad præteritum tempus memoriam accommodans: ad præſens, ſenſum: ad futurum verò providentiam. Semper enim memoria nobis adeſt præteriti temporis, providentia futuri: præſentis autem ſenſus. Proptereà hominem bene, beatèque victurum, non ſenſu ſolùm & memoria, ſed etiam provi- H dentia valere oportet. *Archytas Pythagoricus Philoſophus in lib. de viro bono, & felice.*

Atqui Sophocles de ſenibus eleganter dixit.

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ᾽ εὐνάζει ῥοπή.

Vetuſta parvo corpora momento lapſa vivunt.

Mors enim ſenſilis diviſorio ſimilis eſt: juvenilis autem tanquam ejectio, & naufragium eſt. Elabitur enim anima violenter contrito corpore. *Themiſtius de anima.*

Γῆρας γίγνεσθαι παρὰ τὴν τοῦ θερμοῦ ὑπόλειψιν.

Senectutem ob caloris defectum fieri. *Parmenides.*

Ἰσχὺς καὶ εὐμορφίη νεότητος ἀγαθά, γήραος δ᾽ ἐστὶ σωφροσύνης ἄνθος.

EPICHARMUM ajunt cùm omnino eſſet ætate provecta, cum quibuſdam æqualibus ſedentem in confabulationibus, ſinguliſque dicentibus, alio, mihi ſatis eſt quinquennio vivere: alio, mihi tres: tertio dicente mihi quatuor, reſpondentem cordatum ſenem dixiſſe. O viri optimi, quid mutuò litigatis, & contenditis de paucis diebus? Omnes enim qui convenimus, quodam fato propinqui ſumus morti. Itaque tempus eſt nobis omnibus diſcedendi, antequam aliquod ſenile damnum experiamur. *Ælianus var. lib. 2. c. 34.*

APOPHTHEGMATA.

A Bion ſenectutem dicebat portum eſſe malorum: quod omnes huc confugerent, ſperantes miſeriarum finem. Mori autem unicuique in promptu eſt. Id Ethnici quidem exiſtimabant eſſe præclarum. Chriſtiana pietas docet eſſe nefarium ſcelus. *Eraſ. ex Laert. lib. 4. c. 6.*

Idem docebat nulli exprobrandam eſſe ſenectutem, ad quam omnes optant pervenire. Abſurdum enim eſt, aliis probro dare, quod quis optat ſibi contingere. *Laert. l. 4. c. 7.*

Zenon dicebat, turpe eſſe ſeni, aut proſpicienti ſenectutem, ex commentario ſapere. *Senec. epiſt. 33.* qui alibi ait: Turpis, & ridicula res eſt elementarius ſenex.

Cleanthes interdum cùm foderet, ſolebat ſeipſum increpare. Id fortè admiratus Ariſton: Quem, inquit, increpas? Tum Cleantes ridens. Senem, inquit, qui canos quidem habet, ſed mentem non habet. Seipſum innuens. *Laert. l. 7. c. 2.*

Eratosthenes vigentem ætatem veri comparabat, declinantem æſtati, & autumno, ſenectutem hyemi. *Stob. ſer. 113.*

B Democritus ſenectutem omnimodam imperfectionem eſſe dicebat, eò quod omnia habeat, & omnibus indigeat. *Stob. ſer. 15.*

Diogenes percontanti, quis eſſet in vita miſerrimus? Senex, inquit, egenus. Siquidem ubi naturæ præſidia deſtituunt hominem, extraneis rebus fulcienda eſt ætatis imbecillitas. *Laert. l. 1.*

Phavorinus dicebat, Pythagoram, & Platonem ſenſiſſe, ſenectutem non eſſe finem curriculi hujus terreni appellandam, ſed potius beatæ vitæ initium. *Stob. ſer. 114.*

Theodectes dicebat, ſenectutem, & nuptias res eſſe ſimiles. Utramque enim, inquit, conſequi deſideramus: poſtquam verò nacti ſumus, triſtamur. *Stob. ſer. 66.*

Archelaus Rex opiparum, lautumque convivium amicis ſuis paraverat, cùmque in eo convivio Euripides proximè ſibi aſſidentem Agathonem tragicum poetam jam ſenem, ſe plurimùm amare diceret, Ageſilao interrogante, cur amandus eſſet homo ſenex? Per Jovem, inquit, Ver non ſolùm eſt bonorum optimum, verùm etiam Autumnus. Comparat autem C florentem juventutem verno tempori, quo omnia ſunt in herba: ſenectutem autem Autumno fœcundiſſimo. *Ælianus l. 11. de vir. hiſtor.*

Agesilaum regem cùm quis interrogaret, cur per aerem hyemem ſolo pallio tectus obambularet abſque tunica homo tam provectæ ætatis? Ut, inquit, juvenes hanc vitæ rationem imitentur, cùm exemplum habeant & extremæ ſenectutis hominem, & principem. Sapienter admonens, ſenibus ita vivendum eſſe, ut adoleſcentibus exhibeant rectè vivendi formam: & vulgus nihil imitari libentius, quàm quod à viris Principibus conſpexerunt factitari. *Plut. in Lacon.*

Alexander, cùm ſenem quendam capillos inficientem vidiſſet, dixit: Non capillos, ſed genas tange. *Max. ſer. 41.*

M. Cato, cùm ſenectuti adſint multa probra, dicebat, non eſſe addendum malitiæ dedecus, ſentiens, ſenectutem multis nominibus vulgò malè audire: veluti cùm audit, deformis, edentula, luſcioſa, imbecillis, oblivioſa, indocilis. Hæc ſcire ſatis eſt, ut non accedat crimen improbæ vitæ, quod omnibus quidem fœdum, ſed ſeni fœdiſſimum. Alii narrant hoc ab illo dictum in ſenem obvium vitæ contaminatæ. Ne ætatis tuę D malis addas turpitudinem. *Plut. in Roman. apoph.*

Fridericus Imperator, cùm in urbe quadam præfectum, ſenem admodum, & ætate jam imbecillum vidiſſet, non defuerunt adoleſcentes multi, qui ſibi præfecturam loco committi peterent. Cùm igitur ſenem amovendum dicerent, Fridericus dixiſſe fertur: ſenem amicum oppido, non amico oppidum commendamus, ſentiens, dignum eſſe, ut ſenex jam à civibus ad mortem uſque foveretur. *Æn. Syl. lib. 4. de rebus geſt. Alphonſi.*

Ausonius Chiloni hanc tribuit ſententiam: Optabilem eſſe ſenectutem juvenilem, moleſtam verò juventutem ſenilem. Maxima malorum pars, ob quæ male audit ſenectus, à vitiis hominum proficiſcitur: habet autem ex ſe nonnulla commoda, plurimum rerum uſum, ac memoriam, & conſulendi facultatem, reverentiam, & authoritatem, hæc ſi adſint commoda, adſintque incommoda, ea ſenectus optabilior eſt multorum juventute, vitiis, & inertia marcente. Videas autem in nonnullis juvenibus ſenilem imbecillitatem, ſenilem ſomnolentiam, ſenilem ignaviam, ſenilem moroſitatem: horum juventus pejor eſt ſenectute. Nam cùm ſenecta carent, ſenio tamen abundant. Auſoniani verſus ſic habent.

Grata ſenectus homini, quæ parilis juventæ,
Illa juventus gratior, quæ ſimilis ſenectæ. E

Cleanthes ad quendam contumeliæ cauſa obiicientem ſenectutem: Ego, inquit, abire cupio: verùm ubi reputo me omni ex parte ſanum, ſive legendum eſt, ſive ſcribendum, rurſum maneo. Significans, ſe quidem haudquaquam eſſe vitæ cupidum: verùm ob ſenectutem neminem debere è vita decedere, donec vires ſuppetunt ad vitæ munia. *Laert. l. 7. c. 2.*

Gorgias centeſimum ſeptimum agens annum, rogatus, quare tandiù vellet in vita manere. Quia nihil, inquit, habeo, quid accuſem ſenectutem. *Cic. l. de ſenectute.*

Sophocles jam extremæ ſenectutis à filiis accuſatus eſt dementiæ. At is pro apologia judicibus recitavit tragœdiam, quam proxime ſcripſerat, rogans, num ea videretur delirantis? Fertur & hoc dixiſſe: Si ſum Sophocles, non deliro: ſi deliro, non ſum Sophocles. Sentiens, in eruditis ac ſobriis animi vim non elangueſcere, ſed revigeſcere potius uſu, & exercitatione. *Eraſ. Roter. lib. apoph. ex Cicerone.*

Cyrus apud Xenophontem moriens extremæ jam ſenectutis negabat, ſe unquam ſenſiſſe ſenectutem factam imbecilliorem, quam fuiſſet adoleſcentia. Maxima pars incommo- F dorum, ob quæ vulgo malè audit ſenectus, ab intemperantia vitæ proficiſcitur. *Bruſ. l. 6. c. 7.*

M. Crasso, cùm Parthi per legatos renuntiaſſent, ut ſuæ ætati conſulens à bello abſtineret, inſolenter reſpondit; In Seleucia iſtis mandatis reſponſum dabimus. Hic Agiſis, legatorum unus, ſublata manu mediam palmam oſtendens: Prius, inquit, in hac manu naſcentur ſetæ, quàm tibi Seleuciam conſpiciendi ſit futura poteſtas. *Plut. in Craſſo.*

Eodem conflicturo cum Parthis exta è manibus deciderunt, hoc cæteris ut inauſpicatum oſtentum interpretantibus, ac prælium diſſuadentibus; Hujuſmodi, inquit, incommoda multa nobis ſenectus adfert. At arma mihi nunquam è manibus cadent. *Plut.*

Cæsare conſulatum aſſequuto, adjuvantibus Pompejo, & Crasso, cùm omnia pro libidine gererentur, ac pauci ſenatores in Curiam conveniſſent, Conſidius quidam natu prægrandis, idcircò non veniſſe ſenatores dicebat, quoniam illius arma, militeſque pertimeſcerent. Cui Cæſar: Quin tu, inquit, G hoc quoque reformidans domi te non contines? At Conſidius: Senectus, inquit, facit intrepidum. Cùm enim vitæ pauxillum ſuperſit, non eſt, cur magnoperè ſim ſolicitus. *Eraſm. l. 4. apopb.*

Pollio Romulus, qui centeſimum exceſſerat annum Auguſto percontanti, qua tandem ratione illum corporis, animique vigorem ſervaſſet? Intus, inquit, mulſo, foris oleo. Tradit Plinius, naturam hominibus duos dediſſe liquores optimos, oleum foris adhibendum corpori, vinum intus. Mel autem ob humidam, calidamque vim; admodum ſenibus accommodatum eſt. Nunc mel in totum à menſis ſubmovemus, & oleum corpori infundimus. *Eraſm. l. 4. apopb.*

Isocrates, Senectus, ait, adeò moroſa, & querula eſt, & pro minimis rebus anxia, ut jam ſæpius meam ipſe naturam culpaverim, quam aliorum nemo contempſit. *Eod. ſerm.*

Demonacti ſeni crura intumuerant, id videns quidam: Quid iſthuc, inquit, mali eſt, Demonax? Tum ille: Charon, inquit, me momordit. Pro cana dixit Charontem, innuens, H ſenectutem morti vicinam. *Eraſ. l. 8. apopb.*

Alexis, cuidam videnti ipſum jam ſenio feſſum ægrè, lentèque incedere, ac roganti quid ageret? Paulatim, inquit, morior: ſive pedetentim morior, ſignificans, ſenes non vivere, ſed lentè mori. *Stob. ſerm. 115.*

Josephus, Ptolomæo Oniam accuſanti: Veniam, inquit, quæſo, præſta: non enim te latet, ſenes, pueroſque eandem mentem habere. *Bruſ. l. 9. c. 7.*

Chilon dicebat, honorem à junioribus habendum ſenectuti: ut ipſi facti ſenes ab aliis habeantur in pretio: Ea res geminam habebat utilitatem. Siquidem, ut ſenum authoritas, ac reverentia temperabat ætatem laſcivam à peccando: ita ſenes cavebant, ne quid committerent, quo juvenibus, vel ob ineptiam ludibrio poſſent eſſe, vel ob turpitudinem pernicioſi: ſed inter omnes juvenes, omneſque ſenes ea eſſet reverentia, quæ inter parentes, ac liberos. *Laert. l. 1. c. 4.*

Quidam profectus Lacedæmonem, cùm vidiſſet honorem, quem juniores præſtant ſenioribus: In ſola, inquit, Sparta expedit ſeneſcere. Paupertas onus eſt, & miſerum, & grave, ut ait Comicus: ſed in hac moleſtiarum maxima pars eſt, quòd homines

mines facit etiam ridiculos, ut ait Satyricus. Sic inter incom- A moda, quæ fert ætas ingraveſcens, non minima pars eſt, quòd ſenes fere contemptui ſunt, ac ludibrio. Proinde Sparta viſa eſt multis honeſtiſſimum virtutis domicilium. *Plut. in Lacon.*

Senex in Olympiis cupidus erat ſpectandi certaminis, quod agebatur. Sed cùm nulla vacaret ſedes, ad varia loca ſeſe conferens, ludibrio erat, ac ſcommatis petebatur, quòd nullus eum exciperet, ut verò pervenit ad Lacedæmonios, ibi non ſolùm pueri omnes aſſurrexerunt, verùm etiam viri multi ceſſerunt illi locum. Id factum cùm cæteri Græci, quotquot aderant, plauſu comprobaſſent, patriumque morem ſupra modum collaudaſſent: ſenex.

Concutiens canaſque genas, & tempora cana;
Ac fuſis lachrymis.

Heu miſerum inquit, ut omnes Græci norunt, quid ſit honeſtum, ſed eo ſoli utuntur Lacedæmonii. *Eraſm. ex Plut. in Lacon.*

Alexander, cùm hyeme duceret exercitum, aſſidens igni recognoſcere prætereuntes copias cœpit, cùmque videret ſenem quendam horrentem frigore, & ad ignem ſtantem conſidere loco ſuo juſſit, dicens: Si in Perſide natus eſſes, in regia ſella ſedere tibi capitale foret: in Macedonia nato, conceditur. *Eraſ. lib. 4. apopb. ex Curtio.*

Cùm Pisistratus occuparet Rempubl. reſque videretur B ad manifeſtam ſpectare tyrannidem, neque quiſquam auderet illius conatibus obſiſtere: Solon productis armis, & ante ędes poſitis, cœpit inclamare cives: at ubi Piſiſtratus ad illum mitteret, qui percontarentur, quare fretus hoc auderet. Senectore inquit. Alios ſenectus reddit formidoloſiores: illi conciliavit audaciam, quod parum vitæ ſupereſſet, etiamſi nullus occideret. Ita *Plutarchus in com. An ſeni ſit gerenda Reſpubl. Diog. Laert.* aliquanto fuſius narrat *lib.* 1. meminit & *Cicero in Catone Majore.*

Cezellius cùm triumviris non obtemperaret, & multa liberè de Cæſaris temporibus loqueretur, admonentibus amicis, ut ſibi caveret: Duæ, inquit, res ſunt, quæ cæteros reddunt formidoloſos, mihi autem maximam ſuppeditant fiduciam, ſenectus, & orbitas. Senex cito periturus eſt, etiamſi nemo occidat. Et orbus nec habet quos curet, nec habet pro quibus timeat. Solet enim ultio in liberos propagari. *Valer. Max. lib. 6. c. 2.*

M. Castritius, Placentiæ magiſtratum gerens, Cn. Car- C boni conſuli jubenti decretum fieri, quo ſibi obſides à Placentinis redderentur, non paruit, atque adeò minitanti, dicentique Multos habeo gladios: reſpondit, Et ego annos: Declarans, ſenectutis præſidio fretum, non metuere gladios. *Val. Max. l. 6. c. 2.*

Veluti autem ignis ardor aquæ frigore temperandus eſt; ſic in Repub. conſervanda juvenum ſubitis cupiditatibus ſenum prudentia moderetur oportet. Hinc laudabilis illa vox Nazianzeni, qui hoc Principum agmen perrumpit: Laudo legem nauticam, qua nemo ad navis gubernacula admittitur, niſi prius diù ſederit ad remos. Idem fieri debet in Repub. nam

A ſenibus priſci ſanctum dixere Senatum.

Strigel. in Chron. Beyerlinck in Apophtheg. Chriſtianorum.

Ludovicus XI. Gall. Rex, regno penè exutus, quod ſeniorum conſilio acquieſcere nollet. Quare vocato ad ſe filio, moriens; Vide, inquit, ſeniores conſiliarios in conſilium adhibeas, eorum ſententiam ſequaris, verbis inſiſtas. Eſt enim robur juvenum, ſenum conſilium. *Joan. Spinæus de Tranquill. animi, pag. 387. Beyerlink ibid.*

Eſſe autem varia ſenectutis incommoda, inſinuavit Imperator Carolus V. cùm enim Philippo filio ſummam harum D regionum gubernationem committeret, totus in fletum abiit; inquiens; Ne miremini illa ſunt ſenectæ propria facilè lachrymari. Idem Frederico Cæſari adſcribunt alii. *Greg. Richteus in axiom. Oecon. Idem ibid.*

* SENECTUS HONORANDA.

Teſtatur *Valerius Maximus*, invitatos ad cœnam diligenter inquirere ſolitos, qui nam ad cœnam venturi eſſent, ne juniores ſeniorum adventum diſcubitu præcurrerent, ſublataque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur. *Lib. 2.*

A Poetis etiam hujuſce rei teſtimonia petenda. E quibus *Ovid. l. 5. Faſt.*

Magna fuit capitis quondam reverentia cani:
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Juven. Sat. 13.

Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi

Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos, E
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque per adeò ſacræ lanugo ſenectæ.

Inter alia veteris legis documenta, quæ per Moysen Deus populo ſuo propoſuit, etiam illud legimus *Levit. 19.* Honora perſonam ſenis time Dominum; quaſi dicat, propter timorem Domini ſenes honora.

Cauſæ ſex, propter quas ſenes honorandi.

Jubet Deus Senes honorari, idem etiam Gentiles hujus præcepti ignari, ſolo naturæ ductu præſtitere, ob ſex potiſſimùm rationes. Primò, quia juvenes gerere ſe debent cum ſenioribus, tanquam diſcipuli cum magiſtris; at magiſtrorum eſt ſedere, diſcipulorum eſt aſtare, & auſcultare: unde Theodoſius Imperator, juſſit filios ſuos aſtare coram Arſenio magiſtro ſuo.

Secundo, quia ut ait *Ariſtoteles lib. 9. Ethic. c. 2.* Omni ſeniori honor pro ætate reddendus eſt, aſſurgendo, & ſeſſionem cedendo, &c. idem docet *Plato lib. 9. de legibus, & Cicero lib. 1. Offic.* Eſt, inquit, adoleſcentis, majores natu vereri.

Tertio, quia in ſenibus præter excellentiam ætatis, eſt excellentia experientiæ, & prudentiæ, ex ætate longiori. Hinc ſenes olim regebant Remp. & à ſenibus nomen accepit Senatus perindè ἀπὸ τῶν γερόντων, apud Spartanos γερουσία, qui erat Magiſtratus Regi aſſidens. Unde S. Thomas ait, ſenectutem eſſe ſignum virtutis, ideòque honorandam, licet quandoque F virtus deficiat: Hinc Chald. pro eo quod nos in S. Scriptura habemus: Coram cano capite conſurge, vertit: coram eo, qui doctus eſt, in lege conſurge.

Quarto, quia omnes penè nationes inſtinctu naturæ ſenes honorarunt Spartiani, teſte *Plutarcho*, in theatro venientibus ſenibus aſſurgebant omnes, & ejus ſeſſum recipiebant.

Romani adoleſcentes in curiam deducebant ſeniores, extra Curiam eos præſtolabantur, ut domum reducerent, unde *Juvenalis Sat. 13.*

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat.

Hispanis hæc vox *Sennor*, nonnihil detorta, in *Signore*, & Italis in *Signore*, ſignificat Dominum.

De Essenis ſic ait *Phild.* Reverentia erga ſeniores, & cura talis eſt qualis eſſe poteſt germanorum liberorum erga parentes.

Hinc Quinto, Quia ſenes ſunt inſtar parentum, dumque G parentem omnium repræſentant.

Unde Telephus rogatus, quare Spartani juniores ſenioribus aſſurgerent, reſpondit: Eò id fieri, ut aſſueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis venerentur parentes. *Plutarchus in Lacon.*

Sexto, quia ait *S. Baſilius lib. de abdicat. rerum*, ſi honores ſenes, ob iſtam animi tui ſubmiſſionem, gloria te afficiet Deus, atque faciet, cùm ſenueris, ut eadem reverentia tibi à junioribus rependatur: ſi negligas ſenes, pœna talionis te ſenem puniet, ut à junioribus quaſi delirus contemnaris.

☞ *Quære nonnulla in loco de Urbanitate.*
☞ *Erga Senes inurbani, crudeles. Vide Inhumanitas.*

HIEROGLYPHICA.

Supervacuum videtur, per Canos ſenectutem, locorum ubique ſignificatam, diſcere: ſed illud commemoratione non injucundum fuerit, quo in hanc ſententiam oſtenta olim præmonſtravere. Galbæ ſiquidem, cùm is provinciam Hiſpanicam Taraconenſem ingreſſus ſacrificaret, intra ædem publicam accidit: ut puero è miniſtris acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret, quòd rerum mutationem ſigni- H ficare Aruſpices reſponderunt, ſucceſſurumque juveni ſenem, nam is Neroni alterum & 30. nato annum ſeptuagenario major ſucceſſit. *Pier. Val. l. 32. pag. 501. C. & 502. D.*

Amygdali arboris hieroglyphicum in divinis literis accipitur pro Canitie, quæ manifeſtum eſt ſenectutis indicium. Fertur ad hanc ſententiam locus iſte apud Salomonem ad calcem Eccleſiaſtæ: [Florebit amygdalus, & pingueſcet locuſta, & diſſipabitur capparis, atque hæc inceptabunt, homine jam in domum æternitatis ſuæ profecturo] hoc eſt, ut eſt apud Eucher. Caneſcet homo, tumebunt pedes, & concupiſcentia frigeſcet. *Pier. Val. l. 52. pag. 501. C. & 502. D.*

* Senio Mortui. ☞ *Videatur Locus de* Morte.

Senſus.

Definitio, et Etymologia.

SEnsus Græcè αἴσθησις, eſt potentia paſſiva, ſecundùm *Ariſtotelem*,& *S.Thom.* 1.*p.q.*79.*a.*3. quod intellige, quatenùs ſpectatur potentia ſenſitiva, ut recipit ſpeciem ab objecto, vel actum ſentiendi in ſe recipit: alioquin ſi ſpectetur, ut informata ſpecie, actum ſentiendi producit, ideòque non patitur, ſed operatur; eſt potentia activa. Pro qua re legatur *D.Nemeſius c.6. de hominis natura.*

* Partitio.

Primùm datur juxta Philoſophos ſenſus communis, cujus proprium munus omnium externorum ſenſuum operationes dignoſcere, quod neceſſario fieri debet uno aliquo ſenſu à cæteris diſtincto, videatur *Ariſtot. lib.*3. *de anima.c.*2.

Communis ſenſuum diviſio eſt in exteriores, & interiores. Illi ſunt quinque: *Guſtus, Odoratus, Auditus, Viſio, Tactus.*

Sensus interiores, ſecundùm Ariſtot. ſunt tantùm quatuor, ſecundùm quatuor modos operationum; ſcilicet ſenſus communis, imaginativa, æſtimativa in aliis animalibus, ſive cogitativa in homine, & memorativa, ſenſitiva: licèt ſint quinque ſecundùm Avicennam, ſcilicet ſenſus communis, imaginativa phantaſia, æſtimativa, & memorativa, ſenſitiva, *ſecundùm eundem*, 1.*p.q.*78. *art.*4.

* Ordo, et Dignitas Senſuum Exteriorum.

Inter omnes ſenſus exteriores Tactus origine, & neceſſitate eſt primus, quia peculiariter radicem habet in primis qualitatibus, quarum temperies eſt primaria diſpoſitio ad animam, primumque vitæ fundamentum, qua diſſoluta, & tactus ipſe, & anima perit. Et eò quidem ſenſus hic plurimum confert animalibus; quia ejus opera poſſunt primarum qualitatum nimietatem cavere, quarum exceſſus interitum affert; ſed idem Tactus dignitate ultimus eſt, ut ait *Proclus comment.*3.*in Timæum*; quia maximè craſſus eſt, & corporeus.

Ut verò tactus ultimum, ita primum dignitatis locum obtinet viſus, ſecundum auditus, tertium odoratus, quartum guſtus, quintum tactus.

Senſuum Utilitas.

Senſus animalibus partim ad incolumitatem ſervandam, partim ad vitam commodius agendam à natura ſunt dati. Hominibus autem peculiarem confert utilitatem, propterea quòd per eos diverſa rerum ſimulachra ad intellectivam cognitionem in mentem pertrahit. Quod nonnulli explicant ſimilitudine civitatis, quæ confluentium hominum turbam diverſis aditibus recipit, & ob id etiam ſenſus animi feneſtræ dici conſueverunt, per quas tamen non ſola cognitio, ſed & vitiorum incitamenta, negligentiæ vitio non rarò intrant.

Unde ſic *D. Hieronymus lib.*2.*adverſus Jovinianum cap.*7. ſi Circenſibus quiſpiam delectetur, ſi athletarum certamine, ſi hiſtrionum nobilitate, ſi ſplendore gemmarum, & id genus aliis per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt: & impletur illud propheticum. Mors intravit per feneſtras.

Adverte hic etiam, quod notat *D. Thomas* 1.2.*q.*35. *art.*2. *ad* 3. *& M. Albertus* 1.*lib.Metaph. tract.*1.*cap.*4. licèt bruta animantia ſenſuum functiones nequaquam ſolius cognitionis gratia exerceant, ſed ad neceſſaria, utiliave quærenda, aut noxia declinanda: hominem tamen ſolius cognitionis ſtudio, ſenſuum miniſterio frequenter uti ad ſcientiam comparandam, & quia ſcientia, aut doctrina, aut experientia adipiſcitur; ad illam quidem auditum, ad hanc verò aſpectum commodiorem, aptioremque eſſe, ut conſtat ex iis, quæ docet *Ariſtoteles lib.*1. *Metaph.cap.*1. *& lib.de ſenſu, & ſenſili cap.*1.

* Quæ Animalia Senſibus Præſtent.

Homo reliquis animantibus tactu, guſtuque excellit: & tamen viſu, auditu, & olfactu à multis ſuperatur. Quandoquidem Aquilæ perſpicacius vident, talpæ acutius audiunt, vultures, & canes ſagacius, eminentiuſque odorantur.
Sunt qui dicant vinci hominem guſtu à Protogeuſte Indico animali. Item ab araneis tactu. Unde vulgatum illud:

Nos aper auditu, Lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

Tenenda tamen eſt ſententia, quam tradit *Ariſtoteles l.*1. *de hiſt.anim.c.*15.*& lib.*2.*de anima c.*9.*text.*94. docens hominem tactu, & guſtu omnibus excellere animantibus. Cujus rei cauſa eſt, quia bonitas tactus, & guſtus, qui tactus quidam dicitur, provenit ex bonitate temperamenti. Hoc autem præſtantius homini, quàm cæteris mixtis datum eſt. Quod autem in hoc carmine de Simia, & aranea dicitur, poeticè, non philoſophicè dictum eſt.

Exiſtimatum verò à quibuſdam fuit ſimiam eximio guſtu præditam eſſe, quo dum comedit, geſticulationes edat indices magnæ voluptatis, quam guſtando percipit.

Similiter creditum, araneam ſingulari tactu pollere, quod vel leviſſimum beſtiolæ in rete incidentis motum, etiam in extrema plaga perſentiſcat. Sed nihil hæc probant. Nam Simia, ut aliàs geſticulatorium eſt animal, ita & in cibo capiendo: tunc verò plus, quia tunc magis oblectatur, etſi non præ aliis animantibus. Quod verò ad araneam ſpectet, ex Alberto Magno colligitur, eam minus perfectum habere tactum; quod frigidi ſit temperamenti, & viſcoſa abundet humiditate, quæ tactum obſcurum, hebetemque reddit.

* Senſus quæ Deſtruant.

Quilibet ſenſus ab excellenti ſenſibili læditur, quo facilè intelligi poteſt. Imprimis enim lux, quæ ſuoptè ingenio caloris parens eſt, ſi nimia ſit, multum calorem oculo imprimit, atque ita organi temperiem immutat; tum præterea ejuſdem caloris vi partes materiæ diſgregat, ac viam aperit, qua foras exiliant ſpiritus vitales, ſine quorum adminiſtrari viſio nequit. Sic autem interdum ad cœcitatem uſque pervenitur.

Cujus rei illuſtria refert exempla *Galenus libro* 10. *de uſu partium*. Quod vehementi, inquit, ſplendore oculi noſtri offendantur, docuerunt id quidem milites Xenophontis, qui per multam nivem iter facientes, vehementer læſi oculis fuerunt.

Experti ſunt etiam id illi, qui ex obſcuriſſimo carcere in ſplendidiſſimam domum calce illitam, & lævigatam à Dionysio Tyranno repentè ducti ſubitò obcœcabantur, minimè repentinum illum lucis occurſum ferentes.

Quare meritò pictores, cùm pingunt in coriis albis, à quibus viſus offenditur, colores fuſcos, ac cæruleos opponunt, in quos ſubindè intuentes, recreant, atque reficiunt oculos. Similiter ophthalmia laborantes, offendit lux, & redarguit; qui tamen fuſca, & cærulea ſine dolore intuentur.

Jam verò ſi ſolem ipſum explicatis, & inconniventibus oculis intueri velis, illos celeriter perdes; uti contigit multis, qui per Eclypſim ſolis, fixis oculis ipſum cum intuerentur, noſſe affectum ejus cupientes, prorſus ſunt obcœcati.

*M. Albertus tract.*4.*cap.*9. ait etiam tenebras ſuo modo aſpectui officere, quatenus in tenebris ob luminis, & caloris abſentiam, ſpiritus in intima ſeſe abdunt; ac nimia frigiditas partes oculi cogit, conſtipatque, ita ut aliquando recuperari aſpectus nequeant.

Quod ad reliquos ſenſus attinet; nocet auditui ingens ſonus ob vehementem aeris commotionem, quia vehitur. Unde teſte *Plinio,l.*6. *nat. hiſtor. cap.*29. Nilus ubi ex altiſſimis montibus præcipitat, fragore accolas ſurdos reddit.

Olfactui autem, teſte *Ariſtotele l.*2. *de anima cap.*9. *text.* 99. nocent odores admodùm graves ob excedentem calorem fumidæ exhalationis: qua interdum uſque ad proceſſus mamillares devehuntur.

Denique tactum, & guſtatum lædunt tactilia, & guſtatilia propter caloris, & frigoris, aliarumque ejuſmodi qualitatum exuperantiam. At enim quemadmodum incendia ſenſibilia ſenſibus offenſionem inducunt, ita eoſdem mediocria oblectant; ut color herbaceus, viſum; attemperatæ voces, & in numerum compoſitæ, auditum: atque ita in cæteris res habet.

Senſuum Notæ.

Huc Pertinet,

In Coelum Suſpicere.

M. Brutus in acie Pharſalica rebus deſperatis, ſublatis in cœlum oculis à Jove Cæſari vindictam imprecatus eſt. *Plutarchus.*

Titus Imper. cùm in itinere ad Sabinos febre correptus lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum: multùmque conqueſtus, eripi ſibi vitam immerentis. Neque enim extare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. *Sueton.*

D. Martinus Turonenſis crebro in cœlum ſuſpicere conſueverat, illic theſaurum ſuum repoſitum ſciens. Idcircò Briccius ejus æmulus homini Martinum quærenti reſpondit: Si delirum illum quæris, proſpice eminus: ecce cœlum ſolito ſicut amens reſpicit. *D.Bernardus in feſto S.Martini.*

Amatricianus quidam demiſſo animo ad ſupplicium tractus, à matre in cœlum oculos elevare juſſus, cùm id faceret: En tibi arces illas, fili, inquit, in quas mox transfereris. *Pont.c.*9.*de Fort.dom.*

Reſpectare.

Ajax apud Hom. perturbatus repentè injecto metu à Jove animo ipſius, diſcedit è prælio ἐντροπαλιζόμενος (crebrò oculos convertens ad hoſtes, quos à ſe tunc relinqui, ſpei, lætitiæque plenos, moleſtè ferebat) ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων. Livius etiam narrat, Hannibalem revocatum à patria invitum, mœſtumque ex hoſtium terra exceſſiſſe, ſæpèque Italiæ littora reſpexiſſe.

Datames reſpiciens ad locum, quem ei Mithridates Ariobarzanis F. ſimulata amicitia oſtendebat, quaſi caſtris metandis opportunum, ab eodem ſic transfoſſus periit. *Probus in Datami.*

Demosthenes ob accepta ab Harpalo munera in exilium pulſus, Æginæ, & Trœzene ferè ſedens, Atticam lachrymis oppletus reſpectabat. *Plut.*

Pyrrhus cùm ſpe lapſus potiundæ Siciliæ inde ſolveret, reſpectans retrò ad amicos: Qualem, inquit, Romanis, & Carthaginanſibus palæſtram relinquimus? *Plutar.in Apoph.*

Jugurtha Numidarum rex diſcedens ab urbe, reflectenſque oculos: O urbem venalem, inquit, & citò perituram, ſi emptorem inveniſſet. *Salluſtius.*

Tiberius Juliam Auguſti filiam ducere coactus; uxorem Agrippinam, M. Agrippæ filiam, neptem Pomponii Attici, ex quo Druſum filium accepit, & quam vehementer amavit, gravidam invitus dimiſit: eamque pòſt ſemel ex occurſu viſam, adeò contentis, & tumentibus oculis proſecutus eſt, ut cuſtoditum ſit, ne unquam in conſpectum ejus poſthac veniret. *Suetonius.*

Non Aſpicere.

Tiberius Imp. cùm nurum, ac nepotes poſt damnationem catenatos, obſcuraque lectica loco moveret, prohibuit per militem obviis, ac Viatoribus reſpicere uſquam, vel conſiſtere. *Suetonius.*

Non Audire.

☞ *Non hìc Corporis affectum, ob læſum audiendi organum, conſideramus: ſed integris organis Obauditionem, ſive veram, animo ad alia intento, ſive ſimulatam.*

Cicero ad Octavium, quem ex Africa ferebant ortum, cùm non exaudire ſe eum dicentem aſſereret: Atqui aures, inquit, habes perforatas. *Plut. in Apoph.*

Non Sentire Dolorem.

☞ *Stupiditas inter Corporeas paſſiones connumeranda, ſed & ad Facultatis tactilis defectum. Hic integris organis, & facultate integra eam, qua ex mentis intentione, vel pertubationis impotentia fit averſionem, intelligimùs.*

D.Thomam Aquinatem tradunt ecſtaſi tam profunda rapi ſolitum, ut interdum candelam accenſam tenens, ea demùm ad manum uſque conſumpta, flammæ calorem non ſenſerit. Id quod non pauca in digitis aduſtionis veſtigia oſtendebant, *Marul.lib.*2.*c.*4.*& Sab.lib.*2.*cap.*6.

Miſſus à Florentinis legatus ad Alfonsum Aragonium Jannotus Manettus, prolixam, & elegantem orationem habuit. Rex eloquentiæ illius admiratione, non aures tantùm attentiſſimas ei dedit, ſed & muſcam naſo inſidentem tum demùm cùm legatus peroraſſet, abegit, oculis geſtus illius intentis obſervans. *Panormitan. & Lud. Dominicus lib.*1. *Var.hiſt.*

* Septimana.

Definitio, & Etymologia.

SEptimana quaſi ſeptem manè, id eſt devolutio dierum ſeptem ſibi invicem ſuccedentium; & ſeptem manè habentium, quo ſenſu dixit *Perſius*.

Jam clarum manè feneſtras intrat.

Hi autem dies à Planetis, quis eos gubernant, nomen acceperunt. Nam cùm die Solis primam horam ſol gubernet: item horam primam lunaris diei ipſa luna, & ſic deinceps, factum eſt, ut inde etiam nomen traxerint. Quem ut dierum, ita dominii ordinem, hi verſus indicant.

Prima dies Soli ſacrata eſt nomine, & actu.
Altera nocturnæ ſervit lux ſubdita Lunæ.
Imperio ſævi ſubjecta eſt tertia Martis:
Quarta eſt Mercurii virgæ ſubmiſſa potenti:
Quinta Jovis rapidi agnoſcit dominantia ſceptra:
Alma Venus Sextam poſcit ſibi jure regendam.
Septima Saturni lethali ſydere tremit.

Quare autem dies non eo ſibi ordine ſuccedant, quo Planetæ ſe in cœlo ſequuntur, cùm tamen à Planetis nomina ſua acceperunt: duplex è ſchola Pythagoreorum Ægyptiorum à Dione cauſa affertur: quarum prima eſt analogia illa Muſica διὰ τεσσάρων, qua concentum, & harmoniam cœlorum contineri creditum eſt: quæ proindè in dierum revolutione itidem obſervetur: ut quia à Saturno quarto loco Sol abeſt manente illa dierum harmonia, ad diem Saturni, Solis ſequi debuit: & quia poſt Solem quarto loco Luna incedit, ea ipſa forma diem Solis, dies Lunæ excipere debuit, atque ſic in reliquis.

Altera verò ex diurnæ obvolutionis in horas viginti quatuor, partitione deſumpta, veritati rei magis conſentire videtur: ſi enim ſingulis horis ſingulos tribuamus Planetas, periodus illa Platenarum ſeptem ſingula diurna revolutione ter abſolvitur, & tres inſuper horæ ſuperſunt, quibus ſi tres Planetæ dentur, facto principio ab illius diei Planeta fiet, ut ab eo quartus primæ horæ ſequentis diei præſit, ac proindè nomen ei tribuat, ut die Saturni prima hora datur Saturno, item abſoluta una periodo, octava: tum decima quinta, tum vigeſima ſecunda: ac proinde 23. erit Jovis, ultima verò, & 24. Martis: proinde ſequens, id eſt, hora prima ſequentis diei erit Solis, ac proinde dies Solis diem Saturni ſequitur, eademque ratione diem Solis Lunæ dies, & ſic deinceps ordine præſcripto.

Ordo apud Judæos.

Cæterùm Judæi ſeptimanam divina inſtitutione à Sabbatho incipiunt, hoc eſt à die Saturni, quem abſolutè Sabbathum vocant, dies verò ſequentes Sabbathi primam, ſecundam, & ſic deinceps.

☞ *Vide Sabbathum.*

Apud Chriſtianos.

Christiani verò nos Septimanam à die Solis inchoamus, eumque diem Dominicum appellamus, quod eodem die Dominus & mundum creavit, & natus eſt, & de ſepulchro ſurrexit. Reliquos verò dies Feriarum nomine vocamus, qua Analogia quoque hunc ipſum Dominicum diem Feriam primam dicimus, dehinc ſecundam, tertiam, & ſic deinceps.

☞ *Vide locum de Die, Sabbato, Feſtis.*

Septimanalia.

☞ *Vide Locum de Judæis. Feſta Judæorum.*

September.

Et quæ illo menſe contigerint. ☞ *Vide* Mensis:

Septimus annus. Numerus.

☞ *Vide multa in Locis de Jubilæo, & Numero. Item in Loco de Anno. Ubi de Annis Climatericis per exempla, & hiſtorias fusè agitur.*

* Sepultura. Sepulchrum.

Definitio, et Etymologia.

SEpultura, Græcè τάφος, & θάπτω, ſepelio dicitur. Heb. *Kebhurah*, ſepultura, *Keber, & Kebbrach*, ſepulchrum, à verbo *Kabbar*, ſepelit, occultavit, ſub terra, abſcondit. Cognationem habet cum *Kakabb*, putruit; nam in ſepulchro eſt putrefactio

trectatio corporum. Eſt autem ſepultura locus concavus, in A quo corpus defuncti conquieſcit. Vel ſepulchrum eſt locus concavus, in quo oſſa defunctorum conduntur.

Sepultus non dicitur, quaſi ſine pulſus, ut quidam volunt, ſed à ſepeliendo. Sepelio vero à ſepiendo, quia cadaver terra, vel lapide, vel alio genere materiæ circumſequitur, ſepultura modò ipſum ſepulchrum ſignificat, modò actum ipſum ſepeliendi.

A Latinis autem Locis ſepulturæ duo nomina impoſita reperiuntur. Sepulchrum quaſi ſepultum, vel ut alii ſemipulchrum. Nam ſepulchra deforis apparent dealbata, marmorea, pulchra, at intus ſunt plena oſſibus mortuorum, & horrorem inferunt adſpicientibus.

Alterum nomen eſt Monumentum, quaſi monens, aut commovens mentem, ut de morte cogitet. Unde videtur, memoriæ cauſa fieri, ut annotavit Feſtus.

SEPULTURÆ CAUSA.

Sepulturæ ceremonia non ob id tantùm adhibetur, ne cadavera inhumata jacerent, & aerem corrumperent: vel ne injuria inferretur defunctis hominibus, ſi beſtiis eorum cadavera B æquarentur: ſed potiſſimùm, ut illius conſideratione moveremur conditionis noſtræ mortalis, & certam ſpem conciperemus reſurrectionis futuræ. ☞ Vide nonnulla *in Loco de mortuis: Ceremoniis ſepulturæ, Cereis.*

SEPULTURA VARIA, ET ANTIQUA APUD ETHNICOS.

De vario ſepulturæ genere apud Ethnicos ſcribens B. Hieronym. ita dicit: Maſſagetæ, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant; rectius, eſſe dicentes, ut à ſe potius, quàm à vermibus comedantur. Tibareni, quos dilexerint, ſenes ſuſpendunt in patibulis. Hircani volucribus, & canibus ſemivivos proiiciunt. Caſpii beſtiis mortuos proiiciunt. Scythæ eos, qui à defunctis amati ſunt, vivos infodiunt cum oſſibus mortuorum. Bactriani canibus ad hoc ipſum nutritis obiiciunt ſenes. Quod cùm Alexandri præfectus Nicanor emandare voluiſſet, pene amiſit provinciam. *Hieron. contra Jovinian. c. 36.*

C Simile his eſt, quod Cicero de iiſdem tradit. Sed quid ſingulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perſpicere cum liceat? Condiunt Ægyptii mortuos, & eos domi ſervant. Perſæ etiam certè circumlitos condiunt, ut quam maximè permaneant diuturna corpora. Magorum mos eſt, non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint anteà laniata. In Hyrcana plebs publicos alit canes, optimates, domeſticos. Nobile tum genus illud canum ſcimus eſſe: ſed pro ſua quiſque facultate parat, à quibus lanietur, eamque illi optimam eſſe cenſent ſepulturam. *Cic. Tuſc. quæſt. lib. 1.*

At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur, eodemque ritu in eo ſepulchro, quo procul ad fontis aras regem noſtrum Numam conditum accepimus, gentemque Corneliam uſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe uſam. *Cicero.*

LOCA SEPULTURÆ VARIA.

☞ *Pete ex Loco de Cadavere. Tit. ſingulari. Item ex* D *Loco de Cæmeteriis.*

EXEMPLA, ET APOPHTHEGMATA.

Socrates cicutam bibiturus, à quibuſdam interrogatus, quomodo ſepeliri vellet? Eo modo, dixit, quo vobis facillimum fuerit. *Stob. ſerm. 160.*

Idem, Athenienses ridens, qui de ſepulchris majorum, & ducum ſuorum gloriarentur, dicebat: Duces, & pleroſque majores, de quibus ſuperbiebant, extrà fines ſuos ſepultos eſſe, probra verò popularis Reipub. in publicis ſepulchris. *Teles de exilio, apud Stobæum ſerm. 38.*

Diogenes proiici ſe inhumatum juſſit. Tum amici: Volucribus ne, & feris? Minimè verò, inquit, ſed bacillum prope me, quò abigam, ponitote. Quid poteris? Illi ajunt, non enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum, ait, laniatus oberit, nihil ſentienti? *Laert. Cicer. lib. 1. Tuſc. quæſt.*

Idem rogatus à Xeniade, quomodo ſepeliri vellet? In faciem, inquit. Percontanti cauſam: Quoniam, inquit, paulò poſt futurum eſt, ut inferiora fiant ſuperiora: huc alludens, quod id temporis Macedones rerum potirentur, atque ex hu- E milibus fierent excelſi: quod ſi interverterentur omnia, fore ut cadaver etiam ex prono fieret ſupinum. Fortaſſis illud ſenſit, nihil referre, quo ſtatu corpus exanime ſepeliatur: qua in re magna erat vulgi ſupeſtitio, peractis enim in portam pedibus efferebantur: & ſtantes cremabantur: & hodie ſtantes, ut audio, ſepeliuntur Judæi, certè ſupini ſepeliūtur omnes Chriſtiani. *Eraſ. Diogenis dictum extat apud Laer. l. 6. & Biuſ. l. 4. c. 10.*

Idem dicebat, ſi canes cadaver ſuum lacerarent, Hircanam ſepulturam fore: ſin vultures, Iberam. At ſi nullum animal accederet, ipſum tempus pulcherrimam ſibi fore ſepulturam, corpore pretioſiſſimis rebus, ſole, inquam, & imbribus abſumpto. *Stobæus ſerm. 10.*

Idem interrogatus, num ſervum, ancillamve haberet? negavit. Cùmque percontator adjeciſſet: Quis igitur te efferet, ſi moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Multi ſuperſtitioſè ſoliciti ſunt, quomodo & per quos efferantur. Hac cura protſùs vacabat Diogenes, non dubitans, quin futurus eſſet aliquis, qui cadaver eiiceret, vel ob id, quod domum faceret vacuam. Quanquam illi contigit honorifica ſepultura. *Laert. lib. 6.* F

Anaxagoras cùm Lampaſci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam afferri, ibidemque ſepeliri? Non neceſſe eſt, inquit: Undique enim ad ſepulchrum tantundem viæ eſt. *Cic. in Tuſc. l. 1. Laert. lib. 2. c. 3.*

Quodam exuli Athenienſi cuidam exprobrante, ac dicente: In patria ne ſepulchro quidem dignaberis, ſed inſtar impiorum Athenienſium in Megarica. Immò (inquit) quemadmodum pii Megarienſium in Megarica. *Teles de exilio apud Stobæum ſermon. 38.*

Euripides dicebat, mentes hominum inſanire, cùm ſumptus inutiles pro mortuis profundunt. *Stob. ſerm. 122.*

Lycurgus ſepulchrorum univerſam ſuperſtitionem ſuſtulit, permittens, ut non ſolùm intra civitatem humarentur cadavera, verùm etiam ut monumenta templis vicina haberentur. Submovit & funebres expiationes: nec conceſſit, ut quicquam unà cum cadavere ſepeliretur (nam aliæ nationes, ſi quid fuiſſet vivo chariſſimum, id mortuò addebant in ſepulchro damnòſa ſimul, ac ridicula ſuperſtitione: quaſi mortui ſentiant aliquid) ſed in puniceo amictu, & oleæ foliis ex æquo poſito omnes ſepeliri juſſit. Vetuit etiam titulos, & inſcriptiones addi monu- G mentis; præterquam eorum, qui in bello cecidiſſent. Suſtulit autem & luctus, & funebres nænias, quas reliquorum hominum vulgus incredibili ſumptu, & apparatu, etiam per conductos ploratores celebrare conſuevit, magna ſpecie dementiæ, quaſi manium ſit ullus ſenſus: aut ſi quid ſentiunt, iiſdem rebus delectentur, quas in vita non judicio, ſed animi vitio dilexerunt. *Eraſm. ex Plut. in Lacon.*

Eo die, quo Socrates bibiturus erat venenum, Apollodorus ei pallium multi pretii ad ſolatium obtulit, ut eo indutus moveretur. At ille recuſans donum: Quid, inquit, hoc meum pallium, quod viventi convenit, mortuo non convenit? Damnans quorundam ambitionem, hoc miro ſtudio providentium, ut quam honorificentiſſima efferantur, ac ſepeliantur. *Eraſm. lib. 3. apoph.*

Cyrum de ſepultura ſua ita ſtatuiſſe ferunt: Meum corpus, ò chariſſimi filii, cùm moriar, neque in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorsùs ulla: ſed illud terræ reddite quamprimùm. Quid enim hac re beatius; quam terræ miſceri, quæ pulchra, & bona omnia gignit, atque nutrit? *Xenoph. de Cyri pædia l. 8.*

Semiramis, conſtructo ſibi monumento, inſcripſit: Qui- H cunque rex pecuniis indiguerit, aperto ſepulchro, quantum opus eſt, capiat. Darius autem cùm aperuiſſet, pecunias quidem non invenit, ſed in hujuſmodi deſcripta incidit. Niſi vir malus eſſes, & pecuniarum explebili deſiderio flagrares, haud ſanè loculos mortuorum commoviſſes. *Plut.*

Demonactem morientem amici rogabant, quomodo vellet ſepeliri? nequid, inquit, iſta res vos habeat ſolicitos: fœtor me ſepeliet: Et dicentibus. Indignum facinus, ſi talis viri corpus laceraretur à canibus: Quid, inquit, incommodi, ſi mortuus alicui ſim uſui? *Eraſm. lib. 8. apoph.*

Alexandri mater Olympias, cùm audiſſet filii cadaver inſepultum fuiſſe abjectum, inter lamenta dixit, hoc quoque, O fili! qui ſtudebas cœli particeps eſſe, huc toto impetu properans, nec his quidem potiri voluiſti, quæ ſunt mortalium omnium communia terra, ac ſupultura. Alexander vivus ambiebat divinos honores. Defuncto nec ultimus illi contigit honos, quem quivis homo perſolvit homini, quamlibet humili. Narrant enim Q. Curtius, & Plutarchus, Alexandri corpus multis diebus inſepultum jacuiſſe, ob graves proce- A rum concertationes de ſucceſſione principatus. Fuit & alter Alexander Epiri Rex, Olympiadis frater; hujus corpus amne in hoſtium caſtra devectum eſt; itaque ab his fœdè laceratum. Unius tamen mulieris opera ſepultum eſt, licèt mutilum. *Tit. Livius Decad. 1. lib. 8.*

Neronem Imperatorem in fuga cum Phaon libertus hortaretur, ut in ſpecum egeſta arena conderetur: negavit ſe vivum ſub terram iturum. *Sueton. in vita Neronis.*

Zisca Huſſitarum Dux, jamjam moriturus, cùm à militibus interrogaretur, quomodo ſepeliri cuperet poſt mortem? Pellem, inquit, mortuo mihi detrahite, relicto feris cadavere, ex cutè tympanum facite, quo in præliis utamini. Et ſic, ut hoſtes noſtri, qui viventis aſpectum non ferebant, jam mortui ſonum fugam adornantes, audire nequibunt. *Æneas Sylvius l. 1. comment. de rebus geſtis Alphonſi Regis.*

RITUS SEPULTURÆ ETHNICORUM.

☞ *Pete ex Loco de Cadaveribus, & ſcripſit de eo Gyraldus.*

* SEPULCHRALES EPULÆ APUD ETHNICOS.

B

Ac primùm.

GRÆCOS.

Funera cum multis ceremoniis, ſacrificiis, epulis, libationibus ab Ethnicis inferri in tumulos conſueta, veterum teſtimoniis conſtat. Et quidem Græci, præ cæteris plendidi, & ſuperſtitioſi: qui has epulas, ſive cœnas ferales variis nominibus appellarunt. Earum autem inſtitutionem ideò factam volunt, quod hac ratione propinqui conſolantur eos, qui defunctis deſtituuntur, puta parentibus, amicis, propinquis. Igitur epulum hoc parentale *Suidas* appellat περίδειπνον *Periander* νεκρὸν δεῖπνον appellatur quoque δαῖς ἐπιτάφιος quaſi epulum ſepulchrale. Ita *apud Homerum* reperitur *iliad.* ψ *de funere Patrocli.* Item ἐννατὰ quaſi Nonæ, erantque epulæ, quæ nono die in honorem defuncti celebrantur. De quibus ☞ *Vide in Loco de Novendialibus.*

Exempla epularum feralium obvia ſunt *apud Homerum*, qui *Iliad.* φ deſcribit magnificum epulum, quod Achilles in honorem Patrocli demortui apparavit. Item aliud *Hectoris Iliad.* ω. *in fine.*

Apollonius in ſuis Argonauticis deſcribit epulum funebre, quod Argonautæ propter Idmona mortuum celebrarunt. *l. 2.*

Itaque triduo poſt mortem Græci apparabant cœnam ne- C ceſſariis, qui coronati languentes adhortabantur, ut cibum caperent, quod quidem ipſi cunctanter faciebant, ne poſt chariſſimorum mortem vitam exoptare viderentur. Quare & ſæpius cibum recuſat Achilles apud Homerum, interfecto Patroclo.

Apollonius alterius quoque ſacrificii meminit, quod ad Dolopis (qui Mercurii filius fuit) ſepulchrum celebratum fuit. *lib. 1. num. 23.*

Καί μιν (Dolopa) κυδαίνοντες ὑπὸ κνέφας ἔντομα μήλων κῆαν, &c.

Ibi interpretes annotant moris fuiſſe, ut mortuis in occaſu ſolis juſta peragerentur, cœleſtibus verò in ſolis ortu.

Conviviorum porrò funebrium apud alios quoque authores Græcos crebra admodum fit mentio.

Athenæus lib. 7. Hegeſandri Poetæ citat teſtimonium, ad quem coquus quidam jactabundus hoc modo inducitur loquens ὅταν ἐν περιδείπνῳ διακονῶ τέτρατα χὸς ἐλθόσιν ἐκ τῆς ἐκφορᾶς quando fortè miniſtro in funebri cœna, cum celerrimè ex funere redierint.

Idem lib. 8. meminit Dioclis cujuſdam Opſophagi: qui cùm D uxori ſuæ defunctæ περίδειπνον celebraſſet, multùm ſimul cum fletu obſonii devoravit, id quod illis *Theocritus Chius Poeta*, his verbis exprobravit.

παῦσαι κλάειν ὦ πονηρὲ οὐδὲν γὰρ πλέον ὀψοφαγῶν ποιήσεις.

Noli flere, ò imprebe, nihil enim obſonia comedendo proficies.

Athenis per funeris præfectos epulum apud defuncti neceſſarios dari conſueviſſe, teſtis eſt *Alexand. ab Alex.*

Massilienses inter Gallos olim eruditiſſimi, utpotè à Græcis oriundi eodem die, quo funus eſſet elatum, domeſtico ſacrificio adhibito, neceſſariorum, & cognatorum convivio celebrato, luctum finire conſueverunt, *eodem teſte.*

Epiphanius in ſermone Ancora teſtature, oldem Græcos ſolitos fuiſſe cibum potumque ad monumenta ferre, additis inſolentibus clamoribus. Nam ad ſepulchra accedentes, nomina ſepultorum alta voce proferentes, Reſurge, dicebant, tu comede, & bibe. E

Similis ferè mos hodie fertur eſſe in Livonia. Nam quando funus affertur, ad portam paratæ ſunt epulæ, convivæ defunctum alloquuntur: hujuſmodi ferè verbis: Quæ tibi cauſa fuit moriendi; Quin ſurgis, & unà nobiſcum comedis, & bibis? &c.

Platæenses manibus peremptorum civium dabant inferias, præcedente tibicine, vehiculo, lauro, & myrto fuſca cum cortynis ſequebantur, tum lactis, vini, & olei libationes ſuccedebant, mox princeps indutus purpura, ſervis ejectis, taurum ante pyrum immolabat: Jovemque, ac Mercurium deveneratus, eorum matres, qui pro patria occubuiſſent, ad cœnæ epulas evocabat, cratere libans vinum, idque ſe defunctorum manibus propinare affirmabat, atque ita apud eos fiebat expiatio. *Giraldus.*

SARMATAS.

Sic Alani (*teſte Sardo de moribus gentium*) qui Samogithiam incolunt, in ea Sarmatiæ parte, quæ Lituania dicitur, rogo exſtructo in ſylva, parataque cœna, qua ibi dicunt defunctum, parentant. F

Non eſt quoque ſilentio prætereundum, quòd cùm in feralibus illis cœnis moris fuerit nomina mortuorum exprimere eorum contra, qui ſibimet gulam laqueo fregerunt, nomina ferunt à domeſticis iiſdem in cœnis ſupprimi ſolita, ac proindè exitii præſagium cuidam fuiſſe, quod is nomen ſe amiſiſſe ſomniaret. *Cœlius Rhodig. lib. 7. c. 22.*

ROMANOS.

Apud Romanos quoque funebrium hujuſmodi ſacrificiorum, epularumque frequentem, multiplicemque uſum fuiſſe legimus.

Felia, inquit Festus, ſunt diis manibus ſacrata feſta, à ferendis epulis (ſcilicet ad tumulum) vel à ferendis pecudibus appellata.

Hinc *Ovidius 2. Faſtor.*

Hanc quia iuſta ferunt, dixere Feralia lucra.
Victima placandis manibus illa fuit.
Turnebus in ſuis Adver. lib. 4. c. 22. in illa Virgil.
Infernùm tepido ſpumantia cymbia lacte.

Inde, inquit, inferiarum nomen ortum eſt, quòd mortuorum ſepulchris inferuntur, ἐγοαὶ à Græcis vocantur. Fundebant autem lac, mel, aquam, vinum, olivas, flores etiam G ſpargebant.

Ipſa quoque cœna, quæ ad tumulum ferebatur, dicta eſt feralis. *Juvenalis:*

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Parentalia quoque dicuntur, cùm univerſa officia feralia, ſive inferalia, ut ab *Apuleio* appellantur, tum ſpeciatim convivia, quæ in parentum, aut propinquorum mortibus fieri conſueverunt. Unde parentare, juſta celebrare, & ſacra facere ad ſepulchrum, vel à parendo, quod ita parerent mortuis, qui viventes ita juſſerant facere, vel quod filii parentibus hoc præſtarent.

Juſta quoque vocabantur, quod jure fierent iis, qui de nobis viventes benè meriti fuerant, de quibus *Virgilius:*

Quique ſui memores aliis fecere merendo.

Silicernium inquit *Donatus*, cœna eſt, quæ infertur diis manibus, vel quòd eam ſilentes cernant umbræ, id eſt, umbræ poſſideant, vel quòd, qui inferunt, cernant, ſed non deguſtent: Nam de his, quæ libantur inferis, quiſquis ederit, aut biberit, funeſtabatur.

Nonius ſilicernium dicit eſſe convivium, quod apud veteres ſenibus exhiberi ſolebat, dictum, quòd cum ſilentio edentes H cernerentur, vel propter defuncti memoriam, vel quod cogitaret, ſe mox illum ſecuturos, quapropter abeuntes convivio, veluti ſe amplius non viſuri mutuo ſe ſalutabant.

Circumpotatio quoque, quam *Cicero lib. 2. de legibus* jubet à funeribus auferri, funebris cœna dicitur, quæ vox reſpondet Græco περίδειπνε vocabulo.

Dicta quoque eſt cœna funeralis pollinctura, ſive pollinctus, quo tamen nomine etiam tota funeris curatio intelligitur. Et pollinctor, qui antequam afferebatur cadaver, illud ungebat odoriferis aromatibus, & unguentis, vel à liniendo dictus, vel à polluendo, quaſi pollutos, quaſi pollutorum unctor, id eſt cadaveris curator, vel quòd in funeribus cœnas opiparas celebrabat, & panes ex polline comparabat. *Plaut. in Sticho:*

Dum quidem hercle quiſque veniat cum vinò ſuo, nam hinc quidem Hodie pollinctura; præter nos iam dabitur nemini.

Mar-

Martialis;

A *Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,*
Hæredem ſcripſit me Numa, convaluit.

In pollinctu cœna funebri apium, lentem, atque ſallugubria fuiſſe, teſtatur *Alex. Sardus l.2. de morib. Gentium, ex Plut.*

Mulſum ii, qui funus afferebant, prius in funeſta domo bibebant, *lib.1.*

Igitur Romani ſua etiam convivia funebria habuere, partim in ipſa ſepultura, partim poſt illam.

Livius lib.9. Decad.4. teſtatur P. Licinii funeris cauſa viſcerationem datam, & gladiatores 120, pugnaſſe, ludoſque funebres per triduum factos: poſt ludos epulum, in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum magnis procellis orta coegit, pleroſque tabernacula ſtatuere in foro.

Huc alludit & *Tacitus lib.14. Hiſt. Auguſtæ*, loquens de morte Agrippinæ Neronis matris: Cremata eſt nocte eadem convivali lecto, & exequiis vilibus.

Huc pertinent, quæ de tali convivio *lib.3. Æneidos*, ſcribit B *Virgilius*:

Solemnes tum fortè dapes, & triſtia dona
Ante urbem in loco falſi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat.

Et iterùm, *lib.5.*

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos,
Nec non & ſocii, quæcunque eſt copia, lætis
Dona ferunt, onerantque aram, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fuſique per herbam
Subiiciunt verubus prunas, & viſcera torrent.

Alterius ſacri Feralis deſcriptionem habes *apud eundem lib.6. Æneidos.*

Quatuor hìc primùm nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos, &c.

Statius lib.5. Theb. Archemori exequias deſcribit, qui & Tireſiam inducit ferale ſacrum facere his verbis:

Tum fera cæruleis intexit cornua ſertis,
Ipſe manu tractans, notæque in limine ſylvæ, &c.

Et *Silius Ital. lib.13. Punicorum* Scipionem inducit ſimiliter patri apud Avernum hujuſmodi ferale ſacrum peragere Au- C tonoe Grynea, Phœboque monente.

Fuit quoque apud Romanos Sacrum, ſive Sacrificium Novendiale, quod ex Priſcorum inſtituto factum eſt pro mortuis nono die poſt obitum, quo quis ſepultus fuiſſet.

Hinc *Apulejus lib.9.* Jamque nono die ritè completis apud tumulum ſolennibus erat.

Horat. in Epod.

Novendiales diſſipare pulveres.

Fuere etiam apud Priſcos feriæ Denicales nominatæ, quæ, teſte *Feſto*, colebantur, cùm hominis mortui cauſa familia purgabatur, Græci enim νεκρὸν mortuum dicunt, quamvis non inerudité, à denario numero deriventur. Poſt nonum enim diem quo tumulo cineres condebantur, decimo peragebantur.

Harum feriarum his verbis meminit *Columella*: Nos apud Pontifices legimus, feriis tantùm Denicalibus multos jungere non licere, cæteris licere.

Februa quoque apud Romanos dicta ſunt defunctorum piamina, quod Sabinorum lingua februa purgamentum ſignificaret: vel, ut alii volunt, à femore, quoniam adolendo, & flammis ferventibus fierent. Unde Februarius menſis nomen D invenit à Februando; eo enim menſe populus februabatur, id eſt, purgabatur. Nam per dies duodecim continuos februa celebrantur, pro defunctorum manibus, hiſque diebus pro impetranda mortuorum animabus quiete, omnis populus piaculis, ſacrificiiſque circa ſepulchra accenſis facibus, cereiſque intentus erat.

Lemuria quoque, quæ à nonnullis Lemuralia dicuntur, Romani diis inferis inſtituerunt, ad placandas imprimis Remi manes, unde & quidem Lemuria, quaſi Remuria dicta putavere. *Vide Gyraldum Syntag.17. & Hadrianum Junium de annis, & menſibus, &c.*

His adde Exuerras, quæ ſunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ fit everriatorem (is fuit, *teſte Pompejo*, qui accepta hæreditate juſta facere defuncto debet) certo genere ſcoparum adhibito, ab extrà verrendo dictas volunt.

In Parentalibus porrò, ut docet *Gyraldus*, fabas aſſumere moris fuit: ſicut & in pervigiliis cicer, & ad ferales cœnas, lenteſque, & offas ad ſepulchra illorum ferre, quibus parentare jus erat, quæ & ferialia à ferendis epulis dicta putantur, *teſte Feſto*, ſeu à ferendis pecudibus; quas in defunctorum ſepulchris pro nuda ſilice apponebant. In his cœnis præter legumina, & apium quoque apponi ſolitum obſervatum eſt, quod E contra ebrietatem facere exiſtimaretur.

De his feralibus, ſeu parentalibus, eorumque tenuitate ſic *Ovidius*.

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in exſtructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt,
Munere non avidos ſtyx habet ima Deos.
Togula porrectis ſatis eſt vallata coronis,
Et ſparſæ fruges parvaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violæque ſolutæ,
Hæc habeat media teſta relicta via.

Et paulò poſt.

Hanc quia juſta ferunt, dixere feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.

Multi apud Romanos Teſtamento quoque legaverunt epulum quotannis ad ſepulchrum roſis, & variis reſperſum floribus, atque odoribus: pro hæredum facultatibus exhibendum. F

Laz. lib.3. de Rep. hoc genus epuli duobus vetuſtatis exemplis confirmat, quorum alterum Ravennæ, alterum Romæ erutum eſt.

Ravennæ.

Ob memoriam Patris sui: Dec. vii. Collegii Fabr. M.R. HS 8.N. Liberalitate donavit, sub hac Conditione, ut quotannis Rosas ad Monumentum ejus deferant, et ibi epulentur duntaxat in v. Idus Julias, quod si neglexerunt, tunc ad viii. ejusdem Collegii pertinere debebit conditione supradicta.

Romæ D. M.

P. Cornelia Annia ne in desolata orbitate superviveret, misera vivam ultro in hanc aram cum viro def. incomparabili amore dil. damnat. dedo. cum quo vixi Ann. xx. sine ulla do. Lib. LibertatibusQ. no. ut Quotan. super arcam no. Plotoni, et G oxori Proserpinæ omnibus Q. sacrificent. RosisQ. exornent. de reliq. ibi. epulentur.

Christianos.

☞ *Pete ex Loco de Mortuorum cura, fusè. Etiam quære locum de Funere.*

Turcas.

De Turcis ſic ſcribit *Bartholomæus Georgevizius* in ſua Hiſtoriola, quam ſcripſit de Turcarum moribus, & vitæ conſuetudine: Sæpius, inquit, ad monumenta mortuorum cum luctu redeunt, & inferias ciborum monumento ſuperpoſito, panes, carnes, caſeum, ova, lac.

Novendialis autem cœna more Ethnicorum pro anima defuncti devoratur à pauperibus, aut avibus cœli, & formicis. Dicunt enim gratum eſſe Deo, offerre eleemoſynam tam brutis animantibus, quàm hominibus, cùm ob amorem Dei offertur.

Americos.

De Americensibus autem hæc literis, memoriæque tradita ſunt. A prima ſtatim nocte, poſtquam cadaver defuncti eo H quo dictum eſt ritu terræ fuit mandatum, magnas patinas farinæ, volucrum, piſcium, aliorumque ciborum prius benè coctorum plenas, unà cum potu Caovin dicto, defuncti ſepulchro imponunt, idque more planè diabolico tamdiù facere continuant, donec ipſum cadaver putrefactum eſſe exiſtimāt. Id autem faciunt, quia hujuſmodi mentis errore ſunt imbuti, ut exiſtiment diabolum (quem ſua lingua Ayguam appellant) niſi alios cibos, quos devoret, ibi præſentes habeat, ipſum cadaver effoſſurum rurſus, atque devoraturum eſſe.

* SEPULTURA FIDELIBUS ADHIBITA.

Ac primùm

In Lege Naturæ.

Adamum, ejuſque filios, à quibus propagatum eſt humanum genus, poſtquam vita fuiſſent defuncti, ſepulturæ honore affectus, ut ita juxta primævæ ſententiæ comminationem reverterentur in terram, de qua ſumpti erant, quamvis Scriptura ejus rei non meminerit, intelligere promptum eſt, ex eo quòd poſteri eorum ita circa defunctos fecerint à natura ipſa edocti. Cùm & ipſi Gentiles ſepulturæ carentiam tanquam probroſam exiſtimaverint, ut hac ratione non interire, ſed reſervari corpora ſuorum profiterentur ad revificationem. De Adam certè

certè traditio eſt, ſepultum eum in Hebron. Tradit autem Ja- A cobus Edeſſenus magiſter S. Ephrem apud Barcephala, *lib.1. cap.14.* quòd Noè oſſa Adami in arcam religioſè ſuſceperit, & poſt diluvium illa inter filios ſuos diſtribuerit. Semque, quem anteferebat cæteris, calvariam Adæ dederit, & cum ea Judæam. Tanta Patribus fuit cura, honorque ſepulchri, ob animarum immortalitatem, quam certa fide, & ſpe ſibi proponebāt.

Hinc communis Patrum ſententia eſt, cranium Adæ ſepultum eſſe in monte Calvariæ, ut ibi Chriſti crucifixi ſanguine rigaretur, ablueretur, vivificaretur.

Sed audi *Tertull. lib.2. Carmin. contra Marcion. c.4.*

Golgotha locus eſt, capitis Calvaria quondam;
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoria ſignum.
Os magnum hìc veteres noſtri docuere repertum.
Hìc hominem primùm ſuſcepimus eſſe ſepultum.
Hìc patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit.
Pulvis Adæ ut poſſit veteris, cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ virtute lavari.

Abraham mortua Sara emebat ab Ephrone agrum cum duplici ſpelunca, *Geneſ.23.* ut in ea uxorem ſepeliret, dicebat enim: Advena ſum, & peregrinus apud vos. Date mihi jus ſe- B pulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum. Reſponderunt filii Heth, dicentes: In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum; at noluit Abraham cum Hethæis utpotè Idololatris commiſceri, ideòque appendit pecuniam pro ſpelunca, in qua ſepelivit Saram. *Geneſ.23. v.17. & 18.* Unde apparet, quanta fuerit cura ſepulchri priſcis patribus, non cujuſvis, ſed ſacri, & velùt in proprio loco fidelium.

Cap. deinde 25. Abraham mortuum ſepelierunt in eadem ſpelunca, Isaac, & Ismael. *verſ.9.*

Rachelem mortuam tumularunt in via, quæ à Jeruſalem ducebat Ephratam. *Gen.35.* Quomodo Esau, & Jacob patrem ſuum Iſaac. *Ibid.*

Etiam Joseph ex Ægypto profectus legitur, *Geneſ.50.* ut patrem ſuum Jacob ſepeliret in terra Chanaan, eumque comitati fuerunt omnes ſenes domus Pharaonis, &c.

Quin & ipſe Joseph mortuus conditus aromatibus, in loculo repoſitus, manſit in Ægypto, donec poſteri illius oſſa aſportarent ad terram Chanaam, nè commiſcerentur cadaveribus Ægyptiorum. *Gen.50.*

In lege Mosaica.

C

Maria ſoror Moyſis mortua eſt in Cades, & ibidem ſepulta. *Num. cap.1.* Quomodò Aaron in Hor mortuus, & tumulatus. *Deut.10.*

Deus etiam juſſit, ut malefactores, qui merito ſuſpendio, aut alio ſupplicio ob noxas afficerentur, ſepelirentur eadem die. Idque quod corpori debeatur ſepultura, & ut hac ratione facinoroſorum memoria deleretur de terra. Fuit autem ea lex Judicialis, ideòque abrogata in nova lege.

Deus mortuum Moysen ſepelivit manibus Angelorum in Valle Terræ Moab contra Phegor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus. *Deut.34.*

Jephte Judex populi Hebræorum ſepultus legitur in civitate ſua Galaad. *Judic.12.* Ita & Samuel. *1. Reg.25.* Saulis cadaver *ibid.31.* Aſael. *2. Reg.2.* David Rex. *3. Reg.2.* Bananias. *ibid. verſ.31. & 34.* Salomon. *ibid. c.11. in fine.* Propheta inobediens. *c.13. verſ.30.31.* Eliſæus Propheta *4. Reg.13.* Jojada. *2. Paral. c.24.* Joſias. *ibid. c.35. verſ.24.* ☞ *Vide infrà de Sepulturæ merito.*

In Lege Evangelica.

Decollato juſſu Herodis Joanne Baptiſta, venerunt Disci- D puli ejus, & tulerunt corpus, & ſepelierunt illud. *Matt. c.14.*

Jesu, in civitatem Naim eunti, occurrerunt, qui efferrent mortuum filium unicum matris ſuæ.

Joseph ab Arimathia petiit à Pilato corpus Jeſu, & acceptum involvit in ſindone munda, & poſuit in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra, quod quidem monumentum erat in horto propè locum, ubi fuerat crucifixus. *Matt. 27. & Joan.19.*

Etiam Lazarus jam quatuor diebus fuerat ſepultus, dum adducunt Chriſtum, qui eum reſuſcitavit.

Et manſit deinde apud Chriſtianos honor ſepulturæ, ſic ut non abſque ſummo opprobrio, & criminis atrocis ſuſpicione, aut perpetratione, velut in pœnam denegetur ſepultura, quod etiam olim obtinuit apud Ethnicos, & Judæos. Hinc inter alias pœnas, quibus ſe Deus vindicavit de impia Jezabele, una etiam fuit, quòd canes comederent Jezabel in agro Jezrael juxta verbum Eliæ. *3. Reg.21.*

Eodem modo per Jeremiam Deus comminatur Jojacim Regi Juda, ſepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & projectus E extrà portas Jeruſalem, *cap.12. Jerem. ver.19.* quod Cicero dixit inſepulta ſepultura efferri, qui enim nullo inferuntur tumulo, ſed cadavera eorum proiiciuntur in agrum, aut campum inter cadavera, & calvarias beſtiarum, dicuntur ſepeliri ſepultura aſini.

Apud Ethnicos.

Sepultura licèt nihil addat ſupremæ defunctorum felicitati niſi per accidens, uti infrà tangemus; tamen magna apud omnes gentes illius religio fuit, ſic ut violatores ſepulchrorum gravi ſupplicio afficerentur. *Tit. de relig. & ſumpt. fün. tit. C. de ſepulchro violato.*

Apud Athenienses tanta fuit cura ſepulturæ, ut ſi quis Dux in bello peremptos terræ mandare neglexiſſet, capite plecteretur.

Erat ſanè ea cura *Ovidio* in Scythiam relegato, ne oſſa ſua manerent inſepulta. Ita enim ad uxorem ſcribit. *lib.1. Triſt.*

Oſſa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exulero.
Atque ea pulveribus, & amomi pulvere miſce,
Atque ſuburbano condita pone loco. F

Hinc Pyramides, Mauſolea monumenta, *de quibus ſuo loco.*

Heraclitus Philoſophus, qui omnium rerum principium ignem æſtimabat, volebat in igne corpora defunctorum collocari, ut ad ſuum redirent principium. Interim nolebat manere aeri expoſita. Et Antoninus Cæſar modum comburendi cadavera ſuſtulit Romæ.

Tales Milesius terræ ea mandari volebat, ut ita in aquam reſolverentur, tanquam principium.

Xenophon in Cyropedia introducit Cyrum ita ad ſervos perorantem in puncto mortis: Mei pueri, cùm diſceſſero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide me collocare, ſed terræ ſtatim reddite, quid enim beatius, quā terræ commiſceri, quæ tot pulchra nutrit, & parturit?

Ideò, ut refert *Theocritus*, Græci nominarunt ſua ſepulchra Eria, quod nomen in puncto derivatum eſt de terra, quam ipſi nominabant Era. Inter illos, qui terram pro ſepultura retinuere, diverſiſſimæ fuere opiniones. Alii namque voluere ſepeliri in urbe, alii extrà urbem, in campo. Hi iterùm diſcordant, alii nempè campum nullum fertilem elegere, alii voluere deſertam ſolitudinem, illorum aliqui in publico foro, alii in templis ſepeliri volebant. De quibus vide *Innocentium Cybum* G *de ſepulchris, Dial.2. p.35.36.*

Non Adhibita, Neglecta, &c.

☞ *Pleraque vide in Loco Cadaveris, l.3. Theatri hujus.*

Lithophagi defunctos ſuos in mare abjecere: aliæ gentes aliter circa eoſdem ſe habuere, ut *ex Loco allegato* colligere eſt.

Diogenes Cynicus inhumatus proiici volebat, baculum ſibi dari, quo vultures abigeret. Dicentibus amicis, illum fore inſenſibilem; Quid ergo oberit, replicabat, laniatus ferarum nihil ſentienti? *Plutar. Cicer. 1. Tuſcul.*

Timon Athenienſis omnium hominum oſor, etiam ſuiipſius extitit, cùmque immatura morte eripi videret, voluit in mare deiici, ne homines ipſius corpus, aut oſſa viderent, ſed ab undis abſorberetur. *Plutar.*

Tyrannorum, & Proditorum corpora olim jacuere inſepulta. Exemplò eſt Pausanias Dux Lacedæmoniorum, Ariſtocrates Rex Arcadiæ, Tiberius, & Cajus Gracchus, & Q. Fulvius. Romani ter centum milites, qui illorum caput Babelium interfecerant, arreſto ſenatus ſepultura ordinaria privati. Et Impp. Vitellius, Heliogabalus, Maximus, & alii, qui- H bus unda præſtitit tumulum. Et Neſtor dicit apud Homerum, quòd ſi Menelaus potuiſſet illaqueare tyrannum Ægiſtum, privaſſet eum funeralibus, & ſepultura. *Homerus. Odiſſ. l.3. Plutarchus in lib. de Honor. Appian. lib.2. bell. civil.* Quæ, inquit *Plutarchus*, eſt pœna tyrannorum, & malevolorum. Quæ pœna ſimpliciter infligitur pro punitione corporis, verùm principaliter pro caſtigatione animarum, quas indignas judicabant quiete aliqua potiri. Credebant enim firmiter, quòd illorum animæ hincinde perpetuò vagarentur, donec terræ, & ſepulturæ mandarentur.

Quæſitum aliquando fuit, an mandanti corpus ſuum inſepultum relinqui, ſit parendum? & opinio certa eſt non eſſe, *per l.27. ibi.* Quidam in ſuo teſtamento hæredem ſcripſit ſub conditione, Si reliquias ejus in mare abiiciat: quærebatur cùm hæres inſtitutus conditionis non paruiſſet, an expellendus eſſet ab hæreditate? *Modeſtinus* reſpondit, Laudandus eſt magis